



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Quæstio XLIX. De Immunita Ecclesiarum, Coemiterii, Et Rerum Ad Eas
Pertinentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

QUÆSTIO XLIX.

IN TITULUM XLIX.

DE IMMUNITATE ECCLESIA-
RUM, COEMITERII, ET RERUM AD
EAS PERTINENTIUM.

3704 **I**mmunitas in genere est libertas, vel exemptio cuiuscunque muneris personalis, & mixti. In *tit. 25. Cod. lib. 10.* sumitur pro *exemptione tributorum*, quæ Imperatori, Regi vel Principi, vel pro publica utilitate, aut urgente necessitate præstantur. Coeterum *immunitas Ecclesiastica*, teste Sylvestro V. *eodem* est libertas concessa Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis, & rebus ad eas sperantibus: vel est privilegium Ecclesiastica libertatis, vel personarum, aut rerum ad eam pertinentium: proudeque videtur Immunitas cum libertate coincidere. Suarius *lib. 4.* contra errores Angl. *cap. 1.* pro explicandis nominibus Ecclesiastica immunitatis, libertatis, & exemptionis, notat *immunitatem in genere sic describi: est privilegium, quo res aliqua, vel persona à communi aliqua obligatione, seu onere eximitur.* Habetur ex *L. Munus 18. ff. de verb. sign.* & ex parte subjecti triplex est, nempe *locorum, personarum, & bonorum.* Ex hoc sequitur, quòd gaudentes immunitate Ecclesiastica, immunes, ac liberi sint à præstandis oneribus, vel etiam subeundis officiis secularibus, omnique subiectione relatè ad Superiorem cui còteroin seculis tali privilegio subessent; ubi tamen nota, quòd nomine immunitatis Ecclesiastica veniant solum exemptiones illæ, quæ toti statui Clericorum, vel omnibus locis, aliisque rebus DEO particulariter dicatis communes sunt; sic Thomas Delbene *c. 1. de Immun. Eccles. dub. 1. n. 4.* de quo plura jam diximus *l. 1. à n. 616.* his præmissis:

ARTICULUS I.

De Immunitate locali.

Cum Immunitas Ecclesiastica triplex sit, *Realis*, quæ rebus seu bonis ad Ecclesiam, vel Clericos pertinentibus; *Personalis*, quæ ipsis personis Ecclesiasticis concessa est; primò loco dicemus, de immunitate Ecclesiarum, seu locali, ubi not. *nomine Ecclesiarum* hoc loco venire omnem locum pium, ad DEI cultum ordinatum consecratione, vel benedictione, vel aliâ Ecclesiasticâ deputatione, v.g. per crucis erectionem, de quo agitur *c. Ecclesia 9. h. r. ibi: Ecclesia, in qua divina mysteria celebrantur. licet adhuc non extiterit consecrata, nullo jure privilegium immunitatis admittit: quia obsequiis divinis dedicata; nullus est remanens ausibus profananda, quo habetur, Ecclesiam, etiam non consecratam, si in ea divina celebrantur, gaudere Ecclesiasticâ immunitate locali; quia sic est jam dedicata obsequiis divinis; sed de hoc plura V. à n. 3720.* quibus positus:

Quæstio est, an immunitas Ecclesiastica sit juris tantum humani? Immunitatem Ecclesiasticam quoad Ecclesias, personas Ecclesiasticas, earumque bona, esse non tantum juris *Ecclesiastici*, sed etiam *civilis*, ostendimus *lib. 1. à n. 617.* in quæstione autem an eadem sit *juris etiam divini?* *ibid. à n. 641.* in purè spiritualibus esse juris divini *immediate*; quoad Ecclesias verò & personas Ecclesiasticas, earumque res temporales, esse *pariter juris divini, mediatè tantum, nimirum traditi, & explicati per Ecclesiam;* vel

vel juris Ecclesiastici non utrunque, sed per illud introducti DEO sic dicente, & precipiente, ubi etiam respondimus ad ea, quae in contrarium opponuntur.

S. I.

De Immunitate, seu Jure Asyli.

3707 **I**mmunitas, seu jus asyli est privilegium, Reus concessum, per fugam ad Ecclesiam, declinandi forum. Ad hujus rectam expositionem not. i. propter varios in hac materia abusus, Gregorium XIV. expeditisse Bullam, editam 28. Maji, Anno 159 incip. Cum alias nonnulli, in qua, tanquam jure novissimo, proponuntur, quae circa confugientes ad Ecclesiam observanda sunt. In principio Bullae ait: Cum alias nonnulli Praedecessores sui & praesertim felic. record. Sixtus Papa V. nec non Pius etiam V. sancto zelo ducti, diversas facultates, & indulgentias, extrahendi etiam in casibus quibusdam à Jure non permixti, ex Ecclesiis criminosos, & delinquentes, compluribus secularibus Principibus, eorumque Curis, & Magistratibus, sub variis modis, & formis concesserint, prout in illis plenius continetur: experientia vero postea docuerit, tum ob diversitatem, & differentiam hujusmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum Ministri, ex hoc ipso illa diversimode, etiam latius, quam par erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti ceperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis, libertatis, & Immunitatis Ecclesiasticae perturbationem, & confusionem: alibi vero, ne ipsos quidem Laicos indultis hujusmodi uti voluisse, aut potuisse, quod populus inveterata erga Ecclesias reverentia devotis & assuetis, scandali potius, quam quietis occasionem praebere.

3708 Deinde subjungit S. Illud etiam, dicens: illud etiam absurdum saepe numero secutum esse, ut infima interdum conditionis Laici non modo Juris, sed etiam literarum penitus ignari, & imperiti (dum quasi potestates, & Ministri Curia secularis in aliquo Castro, aut Oppidulo jurisdictionem exercebant) facultatum, & indultorum hujusmodi limites longe excesserint.

Tom. III.

eaque suo arbitrari in sensus minus rectos, & ob intentione concordantis omnino alienos detorserint, & illorum praetextu, quid sibi in mentem venit, attentare praesumpserint, in grave jurisdictionis & Immunitatis Ecclesiasticae praedictum, locorum & personarum, divino cultui dicatarum, contemptum, ipsius divinae Majestatis offensam, & scandalum plurimorum.

Ob has causas, S. Quare, concludit, se pro commisso sibi à domino Pastoralis officii munere, praedictis absurdis, & scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem, dilucidam declaratione submovere, abusus tollere, & ne Ecclesiastica jura plane concilientur, & negligantur, opportune providere decrevisse, (prout etiam dictus Sixtus Praedecessor noster, iisdem de causis motus statuere decrevit, licet, morte praeventus, hoc adimplere nequiverit) ita tamen, ut, quando praesens temporum calamitas, & nimia, quae jam invaluit perverforum hominum malitia, id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda eorum facinora, ultra id, quod praesca illa Majorum nostrorum disciplina, & vetus Sacrorum Canonum norma praescripserit in quibusdam casibus, congrua moderatione adhibita, permittamus, quo posito.

In S. Hac itaque sic loquitur: hac itaque nostra perpetuo valitura constitutione, omnia, & quaecunque privilegia, indulta & gratias, tam per praedictum Sixtum ac Pium V. quam alios quoscunque nostros Praedecessores, aut nosmetipsos, Sedemque Apostolicam, ejusque Legatos, super abducendis, vel extrahendis, ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, Domibus regularibus, & secularibus, locisve sacris, aut Religiosis, aliasque in casibus jure permixtis, hominibus certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminum Reus, aut fraudulentis deceptoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace & quiete publica, & ex causis urgentissimis, ac necessariis, & aequipollentibus casibus in jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut Majoritate rationis extensis, perpetuo, vel ad certum nondum elapsum tempus, quomodolibet concessa, etiam iteratis, ac multi-

Rix rr

multi-

multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac usu recepta, literasque Apostolicas, sub plumbo, aut in forma Brevis, seu alias quomodocunque desuper confectas (quatum tenores hic haberi volumus pro expressis, ac ad verbum insertis) sublatâ penitus omni differentia; *ita ad unam tantum formam reducimus, & moderamur:* ex quo patet sublatis Privilegiis à Prædecessoribus in hac materia concessis, formam in materia Asyli Ecclesiastici, jure novo constitutam esse sequentem, prout verbis formalibus in Bulla exprimitur in §. *Ut Laicos.*

Nimirum, ut *Laicos* ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus; *si fuerint publici Latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, publicasque stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumve Cæmeteriis committere non verentur; aut, qui proditoriè proximum suum occiderint; aut assassini, vel hereses, aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis Rei, Immunitas Ecclesiastica non suffragetur,* quo §. continentur crimina excepta, hoc est, illa, quibus deinceps Privilegium Ecclesiastici asyli non suffragatur, & quidem sub præcepto, ne Ecclesiastici Reos istorum criminum, asyli titulo defendant, sed modo in eadem Bulla, ut sequitur præscripto:

3711 Hinc in §. *Sed universis*, addit, post §. præcedent. ibi: *sed universis & singulis Venerabilibus Fratibus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatiis, tam sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis Regularibus, districtè præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut Laicos in casibus prædictis delinquentes, ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca suprædicta sacra, seu religiosa respectivè, confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquod, iudicio suo, commississe videbuntur (quando à Curia sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus) Ministris, & Officialibus Curie sæcularis, absque irregularitatis nota, aut alicujus cen-*

sura Ecclesiastica incurso, tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum cures, & faciat; sed modo, quo sequitur.

Ne autem fiat abusus hujus facultatis in §. *Ne autem*; adhibet hanc, & sequentes cautelas, *ne Curia sæculares, prædictæ Ministri facultate illos per se, & propria Autoritate extrahendi, & abducendi sibi olim, ut præfertur, attributâ, & per presentes revocatâ abutantur, volumus, & declaramus, ut Curia sæcularis, ejusque Judices, & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, Locisque sacris prædictis, Laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supra dictis (sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis) & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ, ab eo auctoritatem habentis (ad quos solos & non alios Episcopis inferiores etiam si alii Ordinarii sint, aut nullius diocesis, aut Conservatores ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati,) prædictam licentiam dandi facultas pertineat.*

2. Ut occurrente casu in loci excepto, & nullius diocesis, tunc ad Episcopum viciniorum devolvatur hac cognitio, & non ad alios, & capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dicta Persona Ecclesiastica requisita, illos in delictis superioribus expressis, culpabiles, tradere, aut capturas, & incarcerationi intervenire & assistere necessarint; tuncque reverentia, Ecclesie, & locis sacris debita memores prædictos delinquentes, minori quo id fieri poterit scandalo, & tumultu extrahere curent.

3. Quod delinquentes Laici prædicti, postquam, ut præfertur, ab Ecclesiis locisque extracti, & capti fuerint, ad carceres Curie Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub turo, & firmo carcere, ac opportuna custodia, datâ illis, si opus fuerit, per Curiam sæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curieque sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognitio prius per Episcopum, seu ab eo deputatum (an ipsi verè crimina superioribus expressa commiserint?) tuncque de-
mum, de mandato Episcopi, per Judicem Ecclesiæ

Ecclesiasticum, Curia seculari, quacun-
que appellatione seposita, consignentur.

4. Quod de crimine haeresis, cognitio
ad forum Ecclesiasticum tota pertineat; ne-
que in ea Curia secularis se quoquo mo-
do intromittat; & subinde prohibet, ne
contra Ecclesiasticas personas, seculares,
aut cujusvis Ordinis vel militiae, etiam
S. Joannis Hierosolymitani regulares,
quoquo modo, etiam vigore praedictorum
Privilegiolorum, Indultorum, aut Conces-
sionum, qua omnia ad terminos juris per
praesentes reducimus, procedant, aut se in-
tromittant, illasve ab Ecclesiis, Mona-
steriis, Domibus, Locisque sacris aut
religiosis, etiam in casibus, in hac consti-
tutione expressis, extrahere, abducere,
capere, carcerare, aut cognoscere de
criminibus, ad forum Ecclesiasticum
pertinentibus, alias, quam de jure &
per privilegia eisdem Ordinibus aut mili-
tiis concessa, permittitur, quomodolibet
praesumant.

3714 Post haec, in §. Quod si, statuit poe-
nas transgressoribus hujus constitutionis,
ibi: Quod si quis quacunque dignitate,
& autoritate praeditus, praemissorum,
aut alio quovis praetextu quidquam, prater,
aut contra hujus nostrae Constitutionis te-
norem attentare praesumpserit, declara-
mus, cum ipso facto censuras, & poenas
easdem incurrere, quae contra libertatis,
juris, & immunitatis Ecclesiasticae viola-
tores, per sacros Canones, & Concilio-
rum generalium, nostrorumque Praedeces-
sorum constitutiones, sunt promulgatae;
Sicque, per quoscunque Judices Ordinarios,
& Delegatos, etiam causarum Palatii Apo-
stolici Auditores, & S. R. E. Cardinales,
sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter
judicandi, & interpretandi facultate, in
quavis causa & instantia, judicari, & de-
finiri debere; nec non irritum decernimus
& inane, si secus super his per quoscun-
que, quavis autoritate scienter, vel igno-
ranter contigerit attentari.

3715 Concludit demum efficacissimis clau-
sulis, derogatoriis omnibus, quae huic
constitutioni suae quoquo modo contrarian-
tur, ibi: non obstantibus praemissis tam Six-
ti, & Pii V. quam aliorum quorumcun-
que Praedecessorum nostrorum literis
Apostolicis, privilegiis, indultis, & fa-
cultatibus, quibusvis personis, etiam

Tom. III.

Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis
dignitate, & autoritate fulgentibus, aut
Rebuspublicis, Dominiis, Regnis, Pro-
vinciis, Civitatibus, Terris, & Locis,
eorumve Curia, Parliamentis, Senati-
bus, Consiliis, Communitatibus, Uni-
versitatibus, Collegiis, aut Praesidenti-
bus Proregibus, Gubernatoribus, Lo-
cumtenentibus, Vicariis, Potestatibus,
aliisque Magistratibus, Officialibus, Mi-
nistris, aut Consiliariis, ex praedictis, vel
aliis etiam gravioribus, & urgentioribus
causis tam illorum intuitu, & contempla-
tione, sive ad eorum preces, & instan-
tiam, quam etiam motu proprio, & ex
certa scientia, deque Apostolica pote-
statis plenitudine, ac per modum statuti,
& legis perpetuae, etiam in vim contra-
ctus, & Fratrum nostrorum consilio, sub
quibuscunque tenoribus, & formis, &
cum quibusvis praeservativis restrictivis
mentis, attestativis, derogatoriis
derogatoriis, aliisque validissimis, &
efficacissimis, & insolitis clausulis, nec
non irritantibus, & aliis decretis, etiam
si inibi caveatur expresse, quod illis, ni-
si sub certis modis & formis, nisi de ex-
presso eorum consensu, ad quorum fa-
vorem concessa fuerint, derogari pos-
sit, & aliter facta derogationes nullius
sint roboris, vel momenti, & alias
quomodolibet concessis, etiam saepius
approbatis, & innovatis. Quae omnia,
& singula, ac illorum tenores pro ex-
pressis habentes, quatenus praemissis in ali-
quo adversentur, aut plures, quam superi-
us expressos, casus contineant, Authorita-
te & tenore praemissis, omnino, ac perpe-
tuo tollimus, & abrogamus, ac ad termi-
nos praesentis Constitutionis, (quoad superi-
us descripta) duntaxat reduximus, &
nolumus, cuiquam de coetero suffragari,
& qualibet alia dictae Sedis indulgentia
generali, vel speciali, per quae praesenti-
bus non expressa, vel ad verbum non
inserta, effectus earum quomodolibet
valeat impediri. Ut autem praesentes li-
tera ad omnium notitiam facilius dedu-
cantur, &c. Haec Innocentius, juxta
cujus constitutionem, in hac materia
novissimam, procedendum.

An porro haec Immunitas localis sit 3716
Juris divini? an humani tantum? jam
praemisimus responsionem nostram a n.

Rrr rr 2

3706.

3706. censet tamen Haunoldus *tom. 2. tr. 1. n. 141.* standum pro jure solum humano, rationem efficacem judicat inde sumi, dicens: vel loquuntur Adversarii de jure divino *antiqui testamenti*, vel *novi*? si *novi*: nullum possunt afferre textum, quo Christus hoc constituerit; si *antiqui*? illud fuit Privilegium concessum templo illius legis, Privilegium autem illud non constat esse extensum ad nostra templa. Itaque loquendo de Jure divino positivo, non est fundata sententia affirmans. Æque parum potest esse vera de Jure divino naturali. Nam, ut optime discurret P. Franc. Suarez *tom. 1. lib. 3. de Relig. c. 8. n. 9.* non est per se, & intrinsecè malum, malefactores de templo extrahere, alioquin in nullo casu liceret, quod repugnat juribus adductis. Ergo, nisi fiat formali intentione *in contemptum templi*, non est ex vi operis irreverentia, aut injuria templi, adeoque non ideo prohibetur, quia ex se malum est, sed ideo malum est, & in tantum, in quantum prohibetur. Ad summum ergo dicitur ratio naturalis, esse consentaneum dignitati illius loci, ut ei hoc Privilegium concedatur.

3717 Deinde, praveniens responsionem contrariam, n. 142. sic loquitur: si quis diceret, ex perpetua traditione colligi, & haberi, quod Christus hanc immunitatem instituerit, facile refutabitur, tum quia hæc traditio gratis confingitur, quandoquidem Doctores non solum eam nunquam agnoverunt; verum etiam contrarium constanter asseruerunt, & ipsi Canones relati attribuunt hanc immunitatem constitutioni Conciliorum; tum per regulam generalem, quod Christus (ut discurret Suarez) nullas leges ceremoniales Ecclesiæ suæ tribuerit, præter substantiales ritus Sacrificii, & Sacramentorum: reliquas ceremonias & Sacra, per suos Vicarios disponenda reliquit, ut est Ecclesiarum benedictio, consecratio: & denique, modum hujus immunitatis, ejusque determinationem ad loca, personas, delicta, effectus &c. ad Ecclesiam spectare, patet ex juribus allatis. Non aliter ergo

potest dici esse Juris divini, nisi remote, & radicaliter, quatenus data est Ecclesiæ potestas eam instituendi: sic ille.

Sed, quidquid sit de efficacia rationis; & illam immunitatem esse juris divini, *etiam novi testamenti*, privilegio antiqui testamenti per illud etiam stabiliti in lege gratiæ, non textu claro in sacris literis expresso, ut diximus; sed vel tradito, vel per Ecclesiam explicato ex præcepto divino. Nec ex eo, quod non possit assignari textus scriptus, quo id Christus constituerit, sequitur non esse juris divini positivi à Christo conditi; cum plura sint, quæ non sunt scripta, cæteroque in traditionibus nulla esset fides, dicentibus aliquid à Christo constitutum esse, licet id affirmarent summi Pontifices, & Concilia; at immunitatem *localem esse juris divini*, affirmant summi Pontifices, & Concilia, non obligantis *in vi antiqui testamenti*, qua talis, sed recepti pro lege gratiæ: ergo etiam ex hoc non probatur, non esse *juris divini* non scripti, sed traditi: vel explicati per Ecclesiam ex præcepto Christi.

Coeterum, etsi jus civile plurimum assistat huic immunitati, ut alibi ostendimus, in ejus tamen extensione, vel restrictione in pluribus discordat à jure Canonico, prout videri potest *lib. 1. Cod. Tit. 12.* de his, qui ad Ecclesiam fugiunt, vel ibi exclamant; & ne quis ab Ecclesia extrahatur: Quia tamen ad forum Ecclesiasticum spectat, statuere de illis, quæ ad reverentiam Ecclesiæ debitam pertinent, in hac materia, ubi jus civile contrariatur juri Canonico, & huic Bullæ; attendi debet jus Canonicum, ac ejus interpretatio, & quia, quod circa istam immunitatem constitutum est, habet rationem privilegii inserti juri communi, continentis directè favorem divini cultus per Ecclesiarum reverentiam, dispositio hujus privilegii communis simpliciter favorabilis est, licet consequenter præjudicet Republicæ temporali, quod exinde delicta quandoque maneant impunita; & homines audachus peccent; his præmissis:

DUBIUM I.

Quibus locis competat privilegium
Asyli Ecclesiastici.

3720 **R** Esp. ex c. 9. hoc tit. de quo n. 3705. constare, id concedi omni loco pio, ad DEI cultum ordinato, consecratione, vel benedictione, vel aliâ Ecclesiasticâ deputatione; hinc ut competat Ecclesiâ, satis est, eam esse autoritate Episcopi erectam, etsi necdum consecratam, ut patet ex clarò textu c. 9. in n. 3705. quod verum est, licet in ea necdum divina, vel Missæ celebrata sint; & quamvis dicatur in textu, *si in ea divina officia celebrantur*; rectè tamen intelligitur, si ad hoc apta sit, qualiter alia loca, *sola deputatione Episcopi*, sunt religiosa, ut colligitur ex c. 4. de Religios. domibus, præsertim, cum talis Ecclesia nondum consecrata polluat exercitio in ea actu aliquo, quo aliâs Ecclesia polluitur, licet in ea nunquam adhuc celebratum sit; ita Sanchez l. 6. Consil. c. 1. D. 7. n. 2. ibi: *Et hoc videtur verius*; pro eadem sententia referens Sylvestrum, Covarr. Jul. Clarum, & alios.

3721 Quæstio ulterior est 1. an eadem immunitate gaudeant hospitalia? 2. Oratoria? 3. Ecclesia interdicta? 4. polluta? 5. Coemiterium? 6. dormitorium Clericorum commune, vel Regularium? 7. apprehendens portam, vel ansam portæ Ecclesiæ clausæ? 8. an Palatium Episcopi? 9. Ecclesia destructa? 10. domus habitationis Clericorum? 11. Domus Cardinalium? 12. Janua, & porticus Ecclesiæ, aut Coemiterio connexa? 13. Fugiens ad Sacerdotem manibus deferentem sacram Eucharistiam? 14. An Reus secum deferens aram portatilem ex Altari ad quod profugit? 15. An Monasteria, & Conventus Regularium? 16. An Ecclesia nondum perfectè constructa, & absoluta? 17. Ad quem ambitum hoc locale Privilegium se extendat?

3722 Ad 1. & affirmativè, si sint Autoritate Episcopi erecta; sic enim *sunt divinis obsequiis dedicata*, quæ ratio in c. 9. h. 1. (de quo sup.) redditur, propter quam locale Privilegium conceditur, ita Sanchez l. 6. Consil. moral. c. 1. D. 7. n. 2.

relatis ibid. pluribus aliis, qui tamen limitant, ut hoc procedat, si talia sint, ut nec destrui possint, sine Episcopi Autoritate, quòd aliâs non censeantur loca propriè religiosa. Ad 2. affirmant Sylvester, Tabiena, Angles, Armilla, & alii apud Sanchez cit. loc. Nam, ut tradit citatus Thomas Delbene c. 16. sect. 1. hoc Privilegium extenditur ad quemcunque locum pium Autoritate Episcopi erectum; sic enim *deputatus est pro divinis obsequiis*. Verùm hoc non procedit de Oratoriis, erectis Autoritate privarâ, licet in illis Missæ celebrentur, cum possint ad usus profanos converti, nec Episcopus habeat Jus visitandi, vel procuraciones exigendi, Delbene cit. c. 16. dub. 9. l. 12. à n. 1.

Ad 3. & 4. & 2. quòd sic; nam effectus interdicti, & pollutionis, seu violationis Ecclesiæ, ultra id, quod jure expressum est, extendi non debet, at nullibi expressum est, quòd *interdictum*, aut *Ecclesiæ violatio*, locum, de se divinis obsequiis deputatum, privet immunitate Asyli, sicut nec excommunicatum eâ privat excommunicatio; impedimentum igitur, quod per ea præstat, est solum in ordine ad officia divina, & sepulturas fidelium, non autem ad securitatem præstandam fugientibus ad Ecclesiam, ita Sanchez cit. & alii cum illo communiter.

Ad 5. & affirmativè, dummodo sit consecratum, vel benedictum, sive sit contiguum Ecclesiæ, sive non, ut colligitur ex c. *fin. h. 2.* ibi: *in ipsis Ecclesiis, vel earum coemiteriis, & constitutione Gregorii XIV. ibi: Monasteriis, domibus, locisque sacris, vel religiosis*, ut habetur à n. 3710. at inter hæc est tale *coemiterium*, ergo; sic communis. Ad 6. affirmativam sequitur Sanchez cit. n. 2. cum Navarro in Manuali c. 25. n. 17. arg. sumpto ex c. *cum pro causa*, de sent. excommunicat; ubi excommunicatus fuit Archidiaconus, causâ violatæ immunitatis Ecclesiasticæ, duplici excommunicatione, & *quòd manus violentas injecerit in Succentorem, & quòd in communi Clericorum dormitorio*.

Ad 7. & quòd sic, ita Sanchez cit. 3; cum Covarr. & aliis, nam licet talis, qui

portæ manubrium, vel anam apprehenderet, eò quòd ingredi non possit, non esset *intra Ecclesiam*, esset tamen in illa magis, quàm si esset in cœmeterio, 2. quia talis ordinariè est *intra* concavum, vel sub porticu Ecclesiæ, at existens in tali loco, est in loco Asyli per n. 3705. ergo & ille, nec enim requiritur, quòd ambiatur ab Ecclesiâ; unde etiam existens supra ipsum rectum Ecclesiæ, dicitur in loco Asyli Ecclesiastici, cum hoc nomen veniat tota Ecclesiæ fabrica, ut dicemus in seqq.

3726 Ad 8. affirmat Sanchez cit. & apud eum complures alii, ex c. *Id constituimus*, quod 17. q. 4. est. 17. ibi: *id constituimus observandum, quòd Ecclesiastici Canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab Ecclesiâ atrius, vel domo Episcopi, Reos abstrahere omnino non liceat: sed nec alteri consignare, nisi ad Evangelia, datis Sacramentis, de morte, & debilitate, & omni pœnarum genere, sint securi: ita ut ei, cui Reus fuerit criminofus, de satisfatione conveniat; quòd, si quis Sacramenta sua convictus fuerit violasse, Reus perjurii non solum à communione Ecclesiæ, omnium Clericorum, verùm etiam à Catholicorum convivio separetur.* Coeterùm in ordine ad hanc quæstionem de Palatio Episcopi, notandum, quòd, ut refert Covarr. l. 2. *variar. resol. c. 20.* aliqui non aliter hanc immunitatem Palatio Episcopi concedant, quàm si constructum sit intra Ecclesiæ matricis quadraginta passus; quos Oldradus sequitur, & praxis forensis frequenti omnium consensu; at teste eod. Covarr. communis sententia tenet oppositum, quam sequitur Innocentius, Panorm. Host. Henricus, Navar. Greg. Lopez. D. Anton. Sylvester, Glossa.

3727 Ad 9. R. cum distinctione, an sit destructa Episcopi Autoritate, sine spe reedificationis? vel sine illa, & cum spe reedificationis? in primo casu non gaudebit hoc privilegio; secus, in secundo, nam in primo desinit esse *deputata* divinis obsequiis; non in secundo; sic Julius Clarus cit. n. 6. & alii. Ad 10. R. affirmativè, quando contiguæ sunt Ecclesiæ, vel saltem intra 30. vel 40. passus ab ea; per c. *quisquis quod* 17. q. 4. est. 21. ibi: *Sacrilegium committitur, si quis confregeris*

Ecclesiam, vel 30. Ecclesiasticos passus, quòd in circuitu Ecclesiæ fuerint; vel domos, quæ intra prædictos passus fuerint, aliquid tale auferendo, vel diripiendo &c. sic Navarrus cit. n. 18.

Ad 11. respondet Sanchez cit. affir. 3728 mativè, fortè ex consuetudine. Ad 12. R. quod sic; quia quidquid pertinet ad fabricam, seu ædificium loci gaudentis hac immunitate, tanquam pars ejus, eadem gaudet, ut dicemus in seqq. Ad 13. major DD. pars affirmat, ut videri potest apud Sanchez cit. n. 3. qui rationem assignat, quia, licet hoc in Jure non sit expressum, quia tamen hoc templis conceditur ob eorum reverentiam, cum major debeat corpori Christi, fit ut à fortiori hac gaudeat, secus tamen esset dicendum, ubi captus in carceribus, ad Eucharistiam, quæ in carcerem adducitur, fugeret, ita Host. & coeteri per Covarr. citati. Idem tenet Haunoldus tom. 6. tr. 1. n. 156. si apprehenderet Sacerdotem ferentem per plateas sacram Hostiam.

Quintanaduenas in singularibus Theol. 3729 Moral. Tract. 4. singul. ult. n. 1. proponit hunc casum, qui in facto contigit: cum quis ad patibulum duceretur, Sacerdos ad eum accessit, affertens in pectore absconditam sacram Eucharistiam, parvâ pixide inclusam, & illam manifestavit, ac Reus amplexatus est Sacerdotem ostendentem: dubitatum fuit, an ille à supplicio liberandus sit, Ecclesiæque tradendus? Ad hoc dubium respondet: si loquamur de casu, quo talis Reus amplectitur Sacerdotem, *publice deferentem* sacram hostiam, perinde gaudere, ac si ad Ecclesiam confugeret, in eaque existeret, pro qua opinione ibid. refertur Hostiensis, Joannes Andreas, D. Antonin. Archidiaconus, Guilielmus de Monte, Oldradus, Angelus, Albertus, Imola, Jason, Corset. Antonius Gomez, Covarruvias, & Clarus, quos citat & sequitur noster Petrus de Gambacurta l. 4. de imm. c. 6. n. 4. communemque vocat hanc sententiam Navarrus c. 4. n. 18. & magis communem esse refert Farinacius 1. *crim. q. 28. n. 11.*

Deinde ad casum, de quo in dubitatione agitur, si deferret hostiam in pixide absconditam, ac manifestaret, & Reus sic Sacerdotem apprehenderet, pariter

riter n. 3. respondet affirmativè, id plus confirmans, quod insinuasse sufficiat. Nec obstat, privilegia non esse extendenda ultra casum expressum; nam ad hoc respondet Layman de immunit. Eccles. c. 3. n. 4. cum Abbate, extendi posse privilegium ultra casus, ubi valde rationabiliter præsumi potest de voluntate privilegiantis. Nec obstat. 2. quòd, ut volunt Contrarii expeditissima via aperiretur Sacerdotibus, ut facilissimo negotio liberarent à morte, quem maluissent; siquidem exiguam hostiam, consecratam ab ipsis eo die, quo executioni mandandum foret supplicium, possent ita occultè custodire, & cum ea ad Reum accedere sub prætextu eum exhortandi, vel alio quasito colore: ad hoc enim respondet citatus Author n. 9. non ita expeditam dari occasionem Sacerdotibus ad liberandos prædicto modo Reos: cum, præter gravissima peccata, quæ committunt in custodienda, & afferenda sic hostia consecrata, maximo supplicio à Juce Ecclesiastico infligendo, se exponant.

3731 *Quod verò dicitur, seditiosis hominibus, ac aliis criminum perpetratoribus ingentem dari per hoc occasionem ad plura perpetranda crimina (quia poenam mortis non timerent, scientes se taliter liberari posse, si amicum Sacerdotem, vel Diaconum haberent, qui ipsorum gratia hoc exequeretur, & saltem non deesset, qui pecuniæ præmio stimulatus id faceret) negandum est, per hoc seditiosis anam dari liberius peccandi, cum hæc liberatio rarò contingere possit, & Judices seculares, si eam timent, facillè cavere valeant, non admittendo Reis alium Sacerdotem, quam qui comitari debet. Ad 14. affirmat Quintanaduen. loc. cit. à n. 7. casu raro & singulari, qui in castris contigit.*

3732 *Ad 17. communis est affirmativa, & quidem secundum omnia, quæ intra eorum septa sunt, ut est claustrum, dormitorium, hortus, ambitus, porticus, &c. hinc istud Privilegium afficit totam Monasterii fabricam; quia licet non sint loca sacra in hoc, ut pollui, aut violari possint, sicut Ecclesiæ, reputantur tamen in aliis sacra, & religiosa etiam per leges, ut habetur L. 3. C. de his, qui ad Eccles. ibi: quidquid fuerit interjacens, sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, atque porticibus, confugas*

interioris templi vice tueantur. Et ratio est, quia que religiosis adherent, religiosa censentur. L. pateant. C. de his, qui ad Eccles. ex L. que religiosis ff. de rei vindicat. & c. si quis in atrio c. id constituimus. 17. q. 4. id quod etiam constat ex Constit. Gregorii XIV. in n. 3707. tum ipso usu, & praxi.

Ad 16. affirmativè cum Panormitano 3733 in c. 9. h. t. eo ipso enim, quòd ædificium, Episcopi Autoritate ceceptum sit, censetur divinis obsequiis dedicatum sine reditu ad profanos usus. Ad 17. R. ad hujus Privilegii extensionem non veniunt solum interiorius corpus Ecclesiæ, seu totum illum ambitum, qui intra Ecclesiam clauditur; sed totam Ecclesiæ fabricam, & alia illi conjuncta, velut Sacristiam exterius ei annexam, cæmeterium, & similia adjuncta, id, quod utroque jure probatur, & 1. jure Canonico. 17. q. 4. c. 20. ibi: *si quis contumax, vel superbus timorem DEI, vel reverentiam sanctarum Ecclesiarum non habuerit, & fugientem servum suum, vel quem ipse persecutus fuerit, de atrio Ecclesiæ vel de porticibus, quolibet modo, Ecclesiæ adherentibus, per vim abstraxerit, pro immunitate non gentes solidos Episcopo componat: & ipse publicam penitentiam justo judicio Episcopi mulcetur.*

Jure autem civili L. 3. C. de his, qui ad Eccles. ibi: *pateant summi DEI templi timentibus, nec sola altaria, & oratorium templi circumjectum, qui Ecclesiæ quadrupartito parietum septu concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita; sed, usque ad extremas fores Ecclesiæ, quas oratorium gestiens populus primas ingreditur, confugientibus aram salutis esse precipimus, ut inter templum, quod parietum descripsimus cinctu, & post loca publica, & januas primas Ecclesiæ, quidquid fuerit interjacens sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, arcibus, atque porticibus, confugas, interioris templi vice, tueatur; Nec in extrahendos eos conetur quisquam sacrilegas manus immittere &c.* Hanc autem spatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipso DEI templo, & sacrosanctis altaribus, confugientium quemquam manè vel vesperè cubare vel pernoctare liceat.

3735 *Quæstio 18. est, ad quantum spatium Reus semel jam in Ecclesiæ receptus, causâ necessitatis naturæ, egredi possit à fabrica talis Ecclesiæ, salvo nihilominus jure asyli*

asylum Ecclesiasticum etiam tunc eum defendentis? R. hanc questionem fieri posse, vel spectato jure scripto, vel attentâ consuetudine. Attento jure scripto de hoc ita statutum est 17. q. 4. c. 6. sicut antiquitus à SS. Patribus statutum est, statuimus, ut Major Ecclesia per circuitum 40. passus habeat, capella verò, vel minores Ecclesia 30. si verò spectetur consuetudo, tradunt Covarr. & Clarus cit. q. 20. n. 34. hodiernis moribus id non esse receptum, intellige quod *delictam* extensionem localem, tam amplam.

DUBIUM II.

De delictis exceptis, seu excludentibus à privilegio Asyli Ecclesiastici.

3736 **E**X n. 3710. constat, octo esse classes delinquentium (aliis violentibus tantum 7.) quibus privilegium Asyli Ecclesiastici non suffragatur; nimirum, 1. si fuerint publici latrones; 2. si nocturni depopulatores; 3. si grassatores viarum; 4. si commiserint homicidium vel mutilationem in Ecclesia, vel coemeterio; 5. si commiserint homicidium proditorie factum; 6. si assassinum; 7. si sint hæretici; 8. si commiserint crimen læsæ Majestatis humanæ, in ipsam Principis personam.

3737 Circa hæc *not.* 1. quod hæc octo crimina *duntaxat*, consequenter illa, & nulla alia à prioribus adæquatè distincta, privent Reos Privilegio Asyli Ecclesiastici quantumvis gravia sint, & enormia, ut patet à n. 3702. ibi: concessorum à Prædecessoribus Privilegiorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo adversantur, aut plures, quàm superius expressos casus contineant, autoritate & tenore præmissis, omnino, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac omnia & singula ad terminos præsentis constitutionis, quoad superius descripta *duntaxat*, reducimus, sublatâ qualibet aliter interpretandi facultate quibuscunque.

3738 *Not.* 2. ab illis 8. delictis nullum licite aut valide, ex quacunque etiam urgentissima causa, etiam ob majoritatem rationis, fieri posse argumentum ad alia crimina, quantumcunque gravia, ut, sicut illa, sic & ista Reos excludant à Privilegio Asyli Ecclesiastici, constat ex §. *hac itaque* in n. 3710. ibi: etiam in odium certorum delictorum, & pro bono pacis, &

quietis publicæ, & ex causis urgentissimis ac necessariis, & aequipollentibus casibus, in jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut Majoritate rationis extensis, & sequitur ex præced. n. ibi: superius descripta *duntaxat*; quare si argumentum fieret ad unum ex non descriptis superius, v.g. *Sodomiam*, &c. jam non verificaretur illud: superius descripta *duntaxat*, hoc est, illa, & non alia, ab illis adæquatè distincta.

Not. 3. Magiam, quâ talem, non esse ³⁷³⁹ crimen exceptum, adeoque Magum non posse violentè, seu vi ab Ecclesia extrahi, autoritate Laicorum. Anteced. constat ex n. priori. Neque hoc asseruit Deltio disquisit. mag. l. 5. f. 7. §. *Capi sortarios*, ut voluit quidam Laicus, qui suspectum de magia, primùm ex domo æditui, *strata* intra coemeterium, deinde etiam ex ipsa Ecclesia, vi extraxit, tanquam non gaudentem jure Asyli, quod magus esset, allegatâ illius scriptoris Autoritate. Ibi enim solum dicit Deltio, eos capi posse, propter alia crimina, quibus plerumque, seu ut plurimum sunt infecti (ergo non ex vi *magia præcisè*, quæ stat sine illis, ut patet ex ejus verbis, ut plurimum) de quibus, si excepta sunt, rectè loquitur: aliud igitur est, magos capi posse propter alia crimina excepta; aliud, propter crimen *magia*, præterquam, quod Laici, etiam exceptorum criminum Reos, de Asylo Ecclesiastico ipsi extrahere nullo modo valeant, sed extraditionem, causâ per Episcopum cognitâ, ab isto modestè petere debeant, ut constat ex n. 3712.

Not. 4. in casu, quo urget observantia hujus constitutionis Gregorianæ, non valere exceptionem Laicorum, opponentium, non esse usu receptam, nisi prius occurrerit casus legis, & per actus alios priores in contrarium illi actum sit. Unde rectè docet Castropalaus tom. 1. tr. 3. De 1. de Leg. p. 13. n. 3. si tempus intet observandi legem, non posse observantiam præteriri, prætextu non acceptationis; his præmissis.

Quæstio 1. est, quid hic inter crimina excepta veniat nomine *latronis publici*? prout subicitur huic pœnæ, & contra distinguitur à *grassatore viarum*? R. diversas esse opiniones Doctorum. *Grassatores* ait Pereyra in Elucid. l. 2. elucid. 10. l. 6. n. 928. dicuntur, qui in vadendo ³⁷⁴¹ *viam*

violentia, extra occisionem tamen, spoliant, ac diripiunt; grassari enim est cum impetu, & concitatione ad aliquid incedere: Latrones vero, qui aggrediuntur ad prædandum interficiendo. Grassatorem viarum à latrocinio publico distinguit Haunoldus tom. 6. tr. 1. n. 195. quod hoc exercentur extra urbes; illud vero intra urbem. Cæterum à pluribus & grassari per vias, & latrocinari publice, pro eodem accipitur, & importat actum frequentatum eorum, qui publicas vias obsident, ad viatores transeuntes, paratis insidiis interficiendos, vel spoliandos, propterea solum excepta esse crimina censentes, nisi dicas per grassatores viarum intelligi, qui prædando & spoliando vias publicas itinerantium inscuras reddunt; latrones autem, qui non tantum prædando, & spoliando, sed etiam occidendo, sive in viis publicis, sive etiam in domibus, ac ædibus privatis.

3742. Quæstio altera est, quid hic veniat nomine *Nocturni Depopulatoris agrorum*? responderet Pereyra cit. n. 929. quod is, qui viam publicam obsidet dispoliando viatores, differt à publico latrone, quia clandestinè rapit, & occultatur in loco. Unde, quia in nocte segetes destruit, dum ibi se abscondit, jacet, & latet, nomen positum sortitur. Pirhing h. t. n. 19. ex Innocentio in c. *Inter* 6. h. t. V. *Nocturnus*; & Hofiens. ibid. V. *Depopulator* ait: Sic dici eum, qui agros alienos accedit, & de nocte segetes destruit, vel comburit, dum ibi se abscondit, vel latet. De hoc agitur c. *Inter alia* jam cit. ubi, cum *Rex Scotie* quævisset à summo Pontifice, quid de illis fieri debeat, qui maleficia pertractantes confugiunt ad Ecclesiam, ut pro reverentia sacri loci debitas pœnas valeant evitare? rescripsit Pontifex: Nos Tuis quæstionibus respondentes juxta sacrorum statuta canonum, & traditiones legum civilium, ita duximus distinguendum: quod fugiens ad Ecclesiam aut liber, aut servus existit. Si liber? quantumque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem vel ad pœnam, sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra & vitam. Super hoc tamen quod inique fecit, est alias legitimè puniendus: & hoc v. Tom. III.

rum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentat, vel publicas vias obsidet, aggressionis insidiis, ab Ecclesia extrahi potest, impunitate non præstita, secundum canonicas sanctiones: Si verò servus fuerit? qui confugerit ad Ecclesiam, postquam de impunitate sua dominus ejus clericis juramentum præstitit, ad servitium Domini sui redire compellitur etiam invitus, alioquin à domino poterit occupari.

Circa istum textum nota 1. quod in hoc textu, concedente privilegium Asyli Reis confugientibus ad Ecclesiam, expressè fiat mentio *hominis liberi*, sine distinctione, an sit *Laicus*? an *Clericus*? adeoque vi juris antiqui Asylo etiam Ecclesiastico gaudere videantur *Clerici*, Rei criminis non excepti. An autem idem dicendum sit jure novo? constabit ex seqq. Not. 2. quod *diurnus* depopulator agrorum, jure antiquo non fuerit exclusus à privilegio Asyli Ecclesiastici, cum textus inc. *Inter* expressè loquatur de *Nocturno*; sed attentà Constitutione Gregorii XIV. omisam esse illam vocem restrictivam *Nocturnus*; nec obstat, quod aliqui dicunt, quod sit subintelligenda, quia non videtur voluisse corrigere Gregorius jus antiquum, & commune. Verum hoc non videtur probare. Nam ex ipsa Bulla constat, quod Gregorius aliquos casus superaddiderit illis, qui in jure communi excepti erant.

3744. Quæstio 3. est, quid hic veniat nomine mutilationis? *scilicet mutilationem* proprie, prout contra distinguitur à *debilitatione*, esse illam detractionem, seu abscissionem alicujus *membrum*, quæ omnimoda sit, nec sufficiat aliquem claudum, vel mancum efficere absque membri detractione: nec cœcū, si oculus non eruat. *Membrum* est omne id, quod in corpore nostro distinctam habet operationem, ut oculus, auris, nasus, lingua, manus, pes, ita Covarr. in Clem. *si furiosus* p. 3. in it. n. 3. Jacob de Graff. in *aureis decis.* lib. 2. cap. 26. n. 4. & Henriquez in *Summ.* lib. 4. cap. 8. §. 1. *Membrum* autem appellatione venire mamillam foeminae; at non digitum, nec dentes, nec auriculam (scilicet cartilaginem auris) nec barbam, sive accipiat pro capillis, sive pro

pro mento, tradit cum multis Barbof. de appell. verborum appell. 146. Unde abscindens foemina mamilla fit irregularis, teste Molinâ tom. 4. tr. 3. D. 69. n. 6. at irregularis non fit abscindens digitum etiam pollicem, ut ait Bonacina de cens. disp. 7. q. 4. punct. 8. n. 3. nec abscindens auriculam, ut tenet Avila de cens. p. 7. D. 5. sect. 1. dub. 1.

3745. Questio est 4. an in §. 3719. ubi Pontifex Gregorius inter excepta crimina numerat mutilationem, vel homicidium factum in Ecclesia, vel cimiterio, hæc crimina specificet solum exempli causa, sic, ut quælibet gravia crimina in Ecclesia perpetrata intelligantur excepta? an verò solum illa specificè expressa? Primum complures affirmant ex c. *fin. de Immunit. Eccles.* ubi Gregorius IX. Toletano, & Compostellano Archiepiscopis scribens: nonnulli, inquit, immunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesie obtinere sperantes, homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum cimiteriis committere non verentur; qui, nisi per Ecclesiam, ad quam fugerint, crederent se defendi, nullatenus fuerant commissuri. Cum autem in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat; & frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem, mandamus, quatenus publice nuntietis, tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt se indignos.

3746. Ex hoc textu deducunt Doctores, quòd delinquens in Ecclesia, illius immunitate non gaudeat, non solum si in ea homicidium, aut membri mutilationem commiserit; sed etiam, si alia delicta, ut puta adulteria, & virginum raptus patraverit; ita docent in present. Hostiens. in verbo homicida, n. 3. vers. dicas ergo; Joan. Andr. n. 5. in verbo membrorum; Anchat. n. 1. notab. 1. Abb. n. 9. Anan. post. n. 1. Gutier. d. 9. 1. n. 17. Decius Card. Tusch. verbo immanitas, concl. 59. n. 4. & 5. Suar. dict. lib. 3. c. 11. n. 6. quos citat, & sequitur Barbof. in dict. c. *fin. n. 4.* quando scilicet ex proposito, & sub spe impunitatis quis in Ecclesia deliquit; scelus, si non deliberatè, & ex proposito, ut puta casu, vel in rixa, quando nimirum, (ut notat. Aloyf. Riccius in praxi Aurea resol. 157.) spes immuni-

ratis est causa finalis ibi delinquendi. Sub spe autem immunitatis dicitur quòd delinquere in Ecclesia, quando ex electione, & proposito delinquit, ut cum aliis resoluit Aloyf. Riccius dict. resol. 157. n. 2. U

Sed contrarium dicendum est iure novo Constitutionis Gregorianæ, derogantis omnibus Prædecessorum suorum dispositionibus in materia criminum excludentium ab Asylò Ecclesiastico, quò ad eas, quæ in sua Constitutione, circa excepta crimina decrevit; ex hoc enim tale conficitur argumentum: iure illius constitutionis illa duntaxat crimina excludunt ab Asylò Ecclesiastico, quæ in sua Constitutione nominatim, ac specificè expressit, quin ab illis licitè fiat extensio, seu argumentum; ex quacunque etiam urgentissima causa, vel ob paritatem, identitatem, aut maioritatem rationis, sublata omni facultate mentem suam aliter interpretandi, ut habetur §. quod si n. 3714. & in §. Ut Laicus in n. 3710. ubi agit de criminibus, quæ excludunt ab Asylò, quòd commissa sint in Ecclesiis, nominatim, ac specificè exprimit mutilationem, vel homicidium, non distinguendo; an sit factum spe immunitatis; sed simpliciter; & absolte; ergo mutilatio & homicidium duntaxat (si paratum sit in Ecclesia) excludit ab Asylò Ecclesiastico; non autem alia crimina, etiam in Ecclesia, & spe immunitatis in ea obtinende patrata, spectato iure novo Constitutionis Gregorianæ.

Questio 7. est, quid hic veniat appellatione homicidii proditorie facti? hoc homicidium proditorium hic dicitur, qui occidit aliquem ex improviso, ex insidiis, aut nihil tale prudenter suspicantem; seu, qui non potuit prævidere, aut rationabiliter sibi cavere à tali homicidio; sed quòd non præcesserit gravis offensa, vel non constiterit de rancore animi, v. g. qui alium à tergo aggreditur, vel tocius mensæ, aut itineris, absque ulla pravâ rixa, vel contentione; unde occisor proditorius sui proximi, etiam secundum alios ille est, qui illum incautum, nihil sibi præcaventem, per insidias, & infidiam occidit, præsertim, si cum illo amicitiam simulabat. Talis proditor censetur, qui alterum occidit veneno; sic

fic Delbeneit. c. 16. D. 20. f. 2. n. 1. Sanchez in Opusc. tom. 2. l. 6. c. 1. D. 7. n. 26. Castropalaus tom. 2. tr. 11. D. unic. p. 9. n. 26. Layman. l. 4. tr. 9. c. 3. n. 8. intellige, si sub specie amicitiae contingat; proditio enim simulatione fit. Unde requiritur ad hoc, quod occisor simulaverit se amicum, hoc est, non inimicum, & sic omnem timorem, & cautela studium amoverit ab occiso, ne sibi caveret, dicitur declarasse Clemens VIII. per Breve ad Archiepiscopum Panormitanum. 6. Febr. 1597.

3749 Hinc sequitur. 1. eum, qui occidit veneno inimicum, non precedente ulla simulatione amicitiae, vel saltem non inimicitiae, non privari Asylo; 2. nec eum, qui occidit in duello; 3. nec eum, qui non per insidias: nec qui per insidias solum vulneravit animo occidendi: si non praecessit simulatio amicitiae, ac insidiae, cum utrumque requiratur juxta complures, quamvis rectius amicitiae simulatio insidiarum loco, sufficiat. In casu autem, quo inimicus, alteri reconciliatus hunc affecuravit de non occidendo, postea tamen nihil tale metuentem, rancore redeunte illum inprovise perimit, videtur valde probabile, cenferi homicidam proditorium, si alter non potuit prudenter cogitare, ejusmodi rancorem rediturum; sic Haunoldus cum aliis tom. 6. tr. 1. n. 216. Ab homicidio proditorio excipiunt aliqui occisionem hominis infidelis, sed textus expressè loquitur de illo, qui proditorie occidit proximum suum, sed immerito, nam etiam infidelis est noster proximus, quem jubemur diligere, & non perdere.

3750 Quæstio 6. est, quid hic veniat appellatione Assassini, prout hoc crimen subijcitur poena privationis Asyli Ecclesiastici; de hoc crimine in CC. generali Lugdunensi sub Innocentio IV. (ut habetur c. Pro humanis. 1. de homicid. in 6. §. Sacri) extat hæc constitutio: Sacri approbatione Concilii statuimus, ut quicumque Princeps, Prelatus, seu quavis alia Ecclesiastica secularisve persona, quempiam Christianorum, per predictos assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit (quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur) aut eos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit, Tom. III.

verit, excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat sententias ipsos facta: & illa libere aliis per illos (ad quos eorum collatio pertinet) conferantur; sit etiam cum suis bonis omnibus, tanquam Christiana religionis æmulus, a toto Christiano populo perpetuo diffidatus; & postquam probabilibus constiterit argumentis aliquis scelus tam execrabile commississe, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis, adversus eum, sententia requiratur.

Pro explicatione not. quod in jure canonico Assassini, ut tradunt Navar. cap. 27. n. 13. & Azor tom. 3. l. 2. cap. 17. accipiuntur dupliciter. 1. latè, & sunt servi sub domino aliquo existentes, qui occidunt aliquos, conducti pretio. 2. stricte ac proprie, & sunt servi quidam infideles, sub ditione alicujus domini ita persuasi, ut credant honestum, & licitum esse occidere, quem dominus suus iusserit, quomodocunque & quacunque causa jubeat, & non esse id omittendum, quamvis ob id eosmet occidi oporteat. Communis tamen sententia est Bartoli, Antonii Gomez, Gregorii Lopez, & aliorum apud Molinam tr. 3. D. 25. n. 2. Assassinarum nomine intelligi quoscunque, sive Christiani illi sint, sive non, qui pretio alios proditorie occidunt. Quin Carrer, in pract. de homic. §. 1. n. 13. & §. 5. n. 5. addit. Assassinos dici, si de mandato alterius aliquem interimunt, nullo eis premio proposito, sed solum ut mandanti placeant.

Ex hac expositione sequitur. 1. si res promissa (etiam exigua) conducto fuit principale motivum occidendi, talem Assassinum privari asylo; sic enim est verè assassinus; exiguitas enim pretii non minuit, sed auget malitiam tam inhumani facti. 2. id procedere, si occidit, solâ spe rei promissæ, etiam nondum traditæ; nam & in hoc casu invenitur tota, imò major malitia tam crudelis facti, quod Ecclesia intendit punire dicta privatione Asyli; secus tamen est, si occidat spe præmii, sed nullâ etiam intercedente promissione; & hoc non propterea, quod non occidat ex obligatione pacti pretii (hæc enim ad malum non datur) sed ex

eo, quod non præciserit ullum mandatum, vel promissio saltem sub conditione facti.

3753 Difficultas est, si taliter conductus pretio, occidat infidelem? an & in hoc casu ratione hujus delicti priveretur asylo? videtur dicendum, quod non. I. ex dict. §. *Sacri*, in n. 3750. ubi textus expressè loquitur de occisione hominis *fidelis*, ibi: *ut quicumque quempiam Christianorum* &c. & quamvis Constitutio Gregoriana (ut constat ex n. 3707.) indefinitè loquatur, & non expresserit *ly fidelem*, vel *Christianum*; censet tamen Haunoldus tom. 6. tr. 1. n. 225. Pontificem ibi *Assassinum* accepisse in sensu c. 1. de homicid. in 6. juxta §. *Sacri*.

3754 Verùm Haunoldus, in questione, an vi constitutionis Gregoriana ab Asylo excludatur depopulator agrorum *diurnus*? n. 194. respondet, attentà Constitutione Gregoriana rem esse admodum dubiam; quia in hac est omissum *ly nocturnus*; quod in jure communi exprimitur, ut diximus, & tandem concludit prætermisissis aliorum probationibus pro comprehendendo etiam *diurno*; & subjungit *ex ipsa Bulla constare*, quod Gregorius aliquos casus superaddiderit illis, qui in jure communi excepti erant: sed hæc ratio profus eodem modo applicari potest de assassinio, seu occisione hominis *infidelis*. Accedit, quod expressio illa *quempiam Christianorum* in §. *Sacri*, non videatur appòsita *restrictivè*, sed solum *responsivè* ad questionem propositam, quia Pontifex decisionem suam poenalem in dict. §. *Sacri*, non videtur fundare, præcisè in horrenda inhumanitate, & detestanda savitia *occidentium Christianum*; sed in ipso *crudeli facto, quo non tantum corpora, sed etiam anime sic peremptorum intereunt*.

3755 Questio est 7. quid inter crimina excepta veniat nomine *Hæresis*? n. Non venire hæreticum merè materialem; nec etiam toleratum; ut notat Delbene *cit. dub. 22. n. 6.* & alii. Cùm simus in materia odiosa.

Questio demum est 8. quid hic veniat appellatione *crimini læsæ Majestatis humane* in ipsam *Principis personam*? tota questio refunditur eò, qui censeantur actus, continentes crimen læsæ Majestatis humane *in personam Principis*? Nam

per istos terminos elare insinuat, non omne crimen *læsæ Majestatis humane* esse crimen exceptum; sed si sit *in personam ipsius Majestatis humane*. Deest enim est Haunoldus tom. 6. tr. 2. n. 150.

Quid verò importet crimen *in ipsius Principis personam*? tradit tr. 1. n. 231. ex Delbene sæpe cit. dicente: id fieri exercendo actionem aliquam positivam in damnum, & offensam Principis v. g. occidendo, vulnerando, percutiendo, conjurando, machinando, hostiliter insequendo personam Principis, revelando hostibus secretum Principis, ut ab illis capiatur; adde, etiam calumniando Principem. Idem dicendum de consulentibus, auxiliantibus, vel favore præstantibus. Secus dicendum censet de eo, qui ex post factum raturum habet, quod ab alio actum est contra Principem (dummodo hæc rati habitio non de novo lædat Principem) & qui semerè negativè habet, v. g. non impediendo actionem, cùm posset; non revelando, quod scit perpetrandum; nam isti non asflunt positivè: quare est committans fortè crimen læsæ Majestatis, & ideo sine obnoxii aliis poenis huic crimini constitutis, immunitate tamen probabiliter non privarentur, quamvis non minus probabilis sit opinio Farinacii, & Marii Ital. talem carere immunitate.

Pro ulteriori, notitia advertendum: ut crimen læsæ Majestatis in ipsius Principis personam, incurrat poenam privationis asyli Ecclesiastici, requiri, quod sit commissum à talis Principis subdito ratione originis, vel domicilii; non autem sufficere, quod sit subditus primò factus ratione talis delicti in ejus territorio commissi; quia crimen læsæ Majestatis prout subjicitur poenæ in hac questione, videtur ex eo denominari, quod subditus agar graviter contra reverentiam suo Principi ratione originis, vel domicilii debitam; adeoque supponit *subditum antecedenter*. Haunold. *cit. n. 232.*

DUBIUM III.

An, præter enumerata delicta, etiam alia priverent asylo Ecclesiastico?

Ante resolut. not. Virginum Raptoribus negari dictum asylum, Novella

17. Deinde idem cenferi ab aliquibus de Sodomitis, de furante in Ecclesia, & aliis, de quodvis crimine grave committentibus in Ecclesia, vel coemiterio, spe immunitatis Ecclesiasticae, qui potissimum fundantur in identitate, vel majoritate rationis. *In c. h. 2.* Sed ad hoc jam responsum est, *in c. 3747. & seq.* Quare dicendum, praeter crimina specificè, ac nominatim expressa in Constitutione Gregorii XIV. (de qua à n. 3707.) nullum esse, quod prius vet jure asyli Ecclesiastici, nec in hoc casu juvare identitatem, vel majoritatem rationis ex n. 2747. cum dictus Pontifex, abrogatis omnibus Antecessorum Constitutionibus (in quantum huic suae, subpraescriptae formae in hac materia contrariantur) expressè contrarium statuerit; quibus positus

3759. Quaesitio ulterior est. 1. an, qui deliquit in una Ecclesia, privetur asylo in qualibet? 2. an, qui postquam deliquit in Ecclesia, etiam extra illam committit aliud crimen, nec propter hoc, eo casu, gaudeat immunitate? 3. an privetur asylo, qui spe immunitatis ex proposito deliquit prope Ecclesiam? 4. an, si existens in Ecclesia jaculatione occidat existentem extra Ecclesiam? 5. an quis existens extra Ecclesiam per vim ab Ecclesia extrahit, & occidit alium? 6. an existens in porticu Ecclesiae, occidens alium extra illam? 7. an fugitivus ex carcere, vel manibus Ministrorum? 8. an deprehensus in flagrante scelere intra Ecclesiam

3760. Ad. 1. affirmat Pirhing *h. 2. n. 22.* ex Sylvestro V. *Immunitas. 3. q. 2. dist. 3.* sed negative, nisi crimen sit unum ex his, quae specificè sunt expressa in Constitutione Gregorii XIV. Unde jure novo nec procedit illud, quod Pirhing *cit. n. 21.* tradit, quòd, quando in *c. ult. h. t.* à delictis, quae non privant Asylo, & excipit homicidium, vel mutilationem in Ecclesia, vel coemiterio, ea exceptio comprehendat quaecunque alia delicta gravia in locis sacris commissa; nam hoc fallit, si non sint delicta in Constitutione Gregorii XIV. expressa, cujus ratio est ex dictis n. 3715.

3761. Nec obstat, quod assumit ex decisione *c. finalis h. t.* afferentis rationem generalem, quae se extendit ad omnia delicta gravia, nimirum, quod quis in eo, quo

deliquit, puniri debeat, & frustra legis auxilium invocet, qui deliquit contra legem, ex hoc volens, hic locum esse illi regulam, quod ubicunq; ratio legis generalior est, & latior, quam id quod dicitur, & disponitur in lege, tunc ipsa dispositio legis, secundum latitudinem rationis, est extendenda, juxta *L. regula 9. ff. de jur. & fact. ignor.* ubi Gothofred. *lit. A & B.* ait: generali ex principio, vel ratione ext generalis putanda est, etiam si non ipso progressu lex ipsa speciei unius exemplo utatur; quia exempla non restringunt regulam. Nec obstat, quod in poenalibus non fit facienda extensio, etiam ob identitatem rationis, juxta sententiam magis communem. Nam hoc non procedit, quando agitur de puniendis delictis publicis: tunc enim cenferetur esse materia favorabilis, cum Reipublica interfit, ne delicta maneant impunita *L. ita vulneratus 41. §. fin. ff. ad Leg. Aquil.* vel quando ratio est expressa in ipsa lege, quae etiam in aliis casibus non expressis locum habet; tunc enim etiam in poenalibus fit extensio, ob identitatem rationis, ut docent plures apud Fagnan. *in cit. c. ult. n. 13. & 14. hoc tit.* quamvis tunc propriè non fiat extensio legis: sed casus etiam non expressus in ipsa lege comprehendatur, ut alibi dictum.

Hoc, inquam, non obstat in casu praesenti, nam his omnibus, quae adducit dictus Author, derogatum est expressè per Constitutionem Gregorii XIV. statuendis, ut privatio immunitatis, nec propter identitatem, vel majoritatem rationis, porrigatur ad alia crimina, quam duntaxat expressa in sua Constitutione, etiam ex urgentissimis causis, ut constat ex dict. à n. 3715. Deinde, quod assumit, non concludit per necessè, cum, ut ostendimus *l. 1. decret. tit. 1. de Constit.* ex P. Suarez, Legislator, etiam ex ratione communi pluribus, possit nihilominus non omnia ex eadem ratione prohibere; sed tantum aliqua sibi visa; cum in legibus condendis tam poenalibus, quam merè praecipivis liber sit; ex eo igitur, quod in casu non expressè prohibito inveniatur eadem ratio, quae in expressè prohibito, solum sequitur, & illum esse dignum prohiberi; non autem actu prohibitorum, vel in dubio, posse praesumi pro-

prohibitum, quod non procedit in nostro casu, ubi Pontifex clarè prohibet argumentum ab identitate, vel majoritate rationis.

D. U. B. I. U. M. IV. VIX

Qualiter procedendum cum Reo criminis excepti?

3762 **A**nte resolutionem not. in Constitutione Gregorii XIV. quàm à n. 3707. retulimus, Pontificem assignare causam, quare in eadem, rejectis plurimis abutibus, qui fiebant per Ministros iustitiæ, nimia extensione illorum, quæ à suis Prædecessoribus vel constituta, vel indulta sunt, circa localem immunitatem, in hac sua decretali ad uniformem regulam reducere (de qua constat ex principio dictæ Bullæ in n. 3707.) & simul, in quantum præfens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit perverforum hominum malitia, id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda eorum facinora, ultra id quod prisca illa majorum nostrorum disciplina, & veteris Sacrorum canonum norma præscriperat in quibusdam casibus, congruâ moderatione adhibita permittere voluerit, ut habetur n. 3709. quibus præmissis, ea quæ retulimus à n. 3707. in §. *Huc itaque*, specificè statuit.

3763 Circa hæc porro, quæstio est 1. quæ loca specificet Pontifex, ex quibus nullum Reum ab eorum aliquo, si ad eum profugit, impunè ulli liceat extrahere? 2. qualiter Superiores locorum, in quorum Ecclesias, vel loca cæteroque gaudentia privilegio asyli gerere debeant, Reus criminis excepti se recepit? 3. an, si ab eistalis Reus, qui ipsorum iudicio, crimen exceptum commississe videtur, & per Ministros iustitiæ publica tradi postulat, sine irregularitatis nota, cum illis extradere valeant? 4. an talem ipsi Iudices, ac Officiales impunè extrahere valeant? 5. An cum Superiores talium locorum (quando certum est, Reum esse criminis excepti) Curia seculari, eum expetenti, tradere possint; sine consensu Episcopi, vel Officialis eius? 6. an licentia, vel consensus istorum sufficiat tacitus, vel præsumptus? 7. an sufficiat sola licentia alterutrius? 8. an hanc licentiam dare possint alii locorum Ordinarii, Episcopo inferiores, præsertim si sint nullius diocesis, vel Conserva-

tores, à Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati? 9. Quid in hoc tenendum circa licentiam Episcopi, quando locus (ad quem confugit eiusmodi Reus) est exemptus, vel nullius diocesis? 10. qualiter Curia procedere impunè possit in casu, quo de licentia Episcopi Reus criminis excepti illis capiendus & carcerandus permittitur? Undecimò, quid agendum cum tali Reo, si cum Episcopo recuset Curia seculari tradere, nisi cognito, Reum crimen exceptum commississe? 12. an pendente cognitione super hac quæstione (an deliquerit crimine excepto) possit Iudex secularis eum sub suo carcere detinere, vel ab Ecclesiasticis ad hoc tradi? 13. ad quem pertineat cognitio quæstionis, an criminalis Rei sit exceptum? 14. an hæc potestas possit delegari? 15. quid hoc loco specialiter constitutum sit de jure cognoscendi super crimine hæresis? 16. an etiam personæ Ecclesiasticæ, & Regulares, vi huius constitutionis gaudeant privilegio asyli relatè ad Iudices Laicos? 17. an relatè etiam ad Ecclesiasticos? 18. Quæ sint potestates violentium ea, quæ in hac Bulla statuta sunt? 19. an secus facta prohibita sint cum clausula irritante? 20. an hæc constitutio solum admittat casus in eo expressos? sic, ut nullus alius privet jure asyli?

Ad 1. R. exprimi Ecclesias, Monasteria, Sacella, Domos Regulares, aliaque loca sacra, & Religiosa in jure aliàs expressa, constat ex textu in n. 3710. ibi: *ad eorum Ecclesias, Monasteria, Domos, & alia loca supradicta, sacra, seu religiosa respectivè confugientes*. Ad 2. R. id constare ex n. 3711. & ex mox seqq. R. R. Ad 3. R. posse, si fiat eo modo, quo dicitur in respons. ad quæst. seq. nam nisi eum modum, quem Pontifex expressè requirit, ut dicemus, non observantes, Reum, licet ipsis certum foret, commissum crimen esse exceptum, Curia seculari traderent, non evaderent notam irregularitatis; ad 4. R. negativè, sine licentia Episcopi &c. ex n. 3712. ibi: *ne autem fiat abusus*.

Ad 5. R. quòd non; constat ex §. *Ne autem* in n. 3712. quamvis enim in §. *Sed universis* n. 3711. dicatur, posse illum tradi, ac debere, quando à Curia seculari talis expetitur; propter clausulas tamen tam antecedentes, quàm sequentes, clarè accipiendum est, *juxta modum in eadem*

eadem constitutione præscriptum: at in hoc debet intervenire Episcopi, vel officialis eius consensus, post cognitionem cause per Episcopum, vel substitutum, *nam Reus commiserit crimen exceptum?* & simul ut extradio fiat *cum interventu persone Ecclesiasticæ ab Episcopo apertitate* habentis, non ab alio, ut constat ex n. 3712. ergo. Ad 6. r. quod sic; constat ex textu, ibi: *sine licentia Episcopi, vel eius Officialis, n. cit.* Ad 8. r. negative, per expressum textum Bullæ supr. in n. 3712.

3766 Ad 9. r. idem dicendum, ut nec Excepti in hoc casu, vel n. qui sunt nullius Diocesis, etiam criminis excepti Reum Curie seculari possint extradere ante cognitionem cause per Episcopum viciniorum, vel ejus Officialem, sine interventu persone Ecclesiasticæ, ut dictum est; ut habetur in Bulla n. 3712. Ad 10. r. id constare ex claro textu in n. 3712. ibi: *reverentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debita memores, prædictos delinquentes, minori, quo id fieri potest scandalo, & tumultu extrahere curent;* quod non tantum observandum in casu, quo Reum in loco exempto, vel nullius Diocesis existentem superiores loci tradere recusarent, cum deberent; sed etiam, cum traditur, seu potius permitti debet capi, & extrahi è loco sacro; ex quo etiam constat ad 11. Ad 12. r. tunc debere Reum teneri in carcere Curie Ecclesiasticæ, sub custodia, si opus fuerit, data per Judicem secularem, ex n. 3713.

3767 Ad 13. r. quod ad Episcopum, ex claro textu in n. 3713, nisi cognito prius per Episcopum. Ad 14. posse, ex eodem textu, ibi: *per Episcopum, seu ab eo deputatum.* Ad 15. pertinere ad forum duntaxat Ecclesiasticum, quin Judex secularis quoquo modo se intromittere possit, per n. 3713. Ad 16. r. quod sic; ex n. 3713. ibi: *sicut etiam prohibemus, nec Ecclesiasticas personas, seculares, vel cuius ordinis, vel militie, &c. ut supr.* Ad 17. non consentiunt DD; Quidam enim affirmant Clericos etiam relatè ad superiorem Ecclesiasticum gaudere jure asyli; sic apud Hannold. tom. 6. in. 1. n. 167. refertur Fastracius, Jal. Clarus, & Fagnanus, c. *inter alia*, h. t. negativam apud eum sequitur, ut ait communior; pro qua referuntur Castropalaus, Desbene, & alii; quorum sententiam

idem Auctor n. 68. judicat probabilem.

Probat autem, ut omitteremus aliorum rationes, ex eo, quod in Bulla Gregorii XIV. reducendè omnia præcedentia jura ad unam formam, expressè sermo est de *Laicis*, & nullum verbum de *Clericis*; atqui assumptà unà specie ex oppositis, conferatur altera exclusà, ibi: *ut Laicis ad Ecclesias locaque sacra, & religiosa confugientibus.* item: *ut curia secularis, ejusque Judices, & Officiales ab Ecclesiis Laicorum aliquem delinquentem &c. item: revocamus omnia privilegia Laicis concessa, extrahendi delinquentes;* & confirmat inde; quia Ecclesia non punit Reos poenâ corporis tam severâ, sicut Judex secularis, unde absque Ecclesiæ irreverentiâ potest suos punire in Ecclesia, etiam verbis; ergo nihil obstat, quo minus ad has poenas infligendas possit extrahere, ut in alio loco decentius puniantur Clerici.

Verùm ex his fundamentis non videtur evinci, Clericos, respectu sui superioris Ecclesiastici, non gaudere asylo, ut impune possint extrahi à loco sacro propter delicta non excepta. r. enim, verum esse, quod Constitutio Gregorii XIV. revocans omnia priora jura, & indulta, eorumque extensiones, extrahendi Reos è locis sacris, loquitur solum de Reo *Laico*, non de *Clerico*; sed non ex eo, quod jus asyli velit restrictum ad solos *Laicos*, criminum Reos, exclusis ab eodem *Clericis*; si enim attentè legatur, longè alia ratio reperitur, illius mentionis de *Laicis*, & non *Clericis*. Innocentius enim in ea Constitutione restringere voluit Judicium secularium nimiam licentiam, & abusum, quem ostenderunt factò; indulta quorundam Pontificum, quibus eis in certis casibus licebat *Reos Laicos* extrahere de loco sacro, propter quamcunque similitudinem, vel identitatem, aut majoritatem rationis, extendendo ad alios casus, cum magnâ Ecclesiarum irreverentiâ, & Ecclesiastica jurisdictionis præjudicio; ne igitur circa *Laicos* deinceps tanti fierent abusus, medium illis posuit per dictam constitutionem, *revocando ea indulta;* & casus criminum exprimendo, quibus stantibus non esset locus asyli sic, ut extra illos eidem semper locus esset in quibusvis delictis extra illa duntaxat. Et quoniam, eriana

etiam seculis illis suorum Prædecessorum indultis, (cùm aliunde nulla Laicis potestas inquam concessa erat in Clericos) nec in hoc circa Clericos illius abusus propositus fuerit, opus non erat facere mentionem Clericorum.

Quod autem in n. 3768. dicitur: *assumta una specie, ex propositis, censeri alteram exclusam*; quo videntur insinuare Clericos ab asylo in constitutione Innocentiana exclusos, cùm Pontifex assumpserit alteram solum speciem, de Laicis, non obtinet. Negatur enim suppositum, ibi fuisse propositam utramque speciem, & Clericorum, & Laicorum. Jam enim num. præced. ostensum est, ibi solum agi de iudicium secularium gravibus excessibus, & abusu potestatis sibi per Antecessores Pontifices indulta pro Laicis extrahendis de loco sacro in certis casibus ultra expressos in iure communi, & in ordine ad hoc compescendum (in quo nimirum excedebatur) mentionem fieri debuisse Excessus, & abusus, de quibus ibi; erat de Laicorum extractione e loco sacro, prætextu indulgentium, nimis licentiosè extensorum; non de extractione Clericorum; ergo.

3770 Nec obstant alia, quæ communiter opponunt negantes Clericis privilegium asyli, dicentes i. canones loquentes de hoc privilegio respexisse ad Laicos tantum, ut videtur colligi ex cit. c. *Inter alia*; ubi dicitur. *Sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam*, hoc est, impetrare a Secularibus, ne ipsos condemnent ad mortem, vel pœnam corporalem, quod non potest verificari in Clericis, qui seculari potestati non subsunt. Secundo, quod Episcopi Clericos suos & Prælati Regulares suos subditos religiosos castigant, ac puniant in Ecclesiis, & Monasteriis; ergo etiam habent potestatem, illos ibi puniendi, vel etiam inde extrahendi, ut tradant in carcerem, vel in aliud arctius Monasterium concludant. Tertio, quod sic Ecclesia videretur potius defendere delicta Clericorum. 4. quod sic Clerici, & Regulares raro possent puniri; cùm eorum delicta frequentius contingant intra claustra, vel terminos, ad quos porrigitur jus Asyli. 5. quod major sit Episcopi potestas in Ecclesiam, quam iudicis Laici; consequen-

ter ratione loci sacri minor debet esse immunitas Clericorum relatè ad illum, quam Laicorum ad istum; 6. quia potestas spiritualis licetè exercetur intra Ecclesiam; iurisdictione autem Episcoporum etiam in coercendo Clericos, potius spiritualis est, quam temporalis. 7. denique, Religiosi delinquentes in Religione subijciuntur gravibus pœnis per Clement. 1. §. *si quis vero*. de privileg. & c. 2. de Regul. in 6. ergo.

Hæc, inquam, & similia, non obstant, ad r. v. negando, quod dicitur, canones enim loquuntur generaliter, per verba *nullas, nemo*, & his similia. Ad 2. v. per legem Asyli Episcopis non negari facultatem moderatè puniendi Clericos, vel Regulares subditos, correctionis, vel disciplinae causâ, etiam in loco abas immuni, ut alibi dictum est. Ad 3. v. & hoc sequi, penitus tollendum Asylum; cùm spe asyli multo sæpius delinquant Laici, quod nec contrarii admittunt. Ad 4. N. seq. quia Asylum non eximit à pœnis intra locum immuniem, quæ sunt conservandæ disciplinae causâ, vel correctionis, etiam contumaces, per carceres &c. sed tantum ab expulsiōe de loco sacro in manus Laicorum in casibus non exceptis. Ad 5. v. dato ant. N. conf. nam illa major potestas Episcoporum in Ecclesiam, in plurimis aliis salva stat, etiam negata illi hac potestate, de qua controvertitur; imò, quia Laicis nulla potestas est in Ecclesiis; Episcopi potestas in Ecclesiis non potest dici major relatè ad illos. Ad 6. v. intelligendum de exercitio iurisdictionis spiritualis intra Ecclesiam, non interdico; alias etiam in loco exempto possit Ordinarius exercere iurisdictionem spiritualem, & contentiosam. Ad 7. v. inter eas pœnas non esse privationem Asyli.

DUBIUM V.

An asylo Ecclesiastico gaudeant alieni à fide: vel fugientes ad Ecclesiam ex causa civili?

Prima quæstio est, de infidelibus, 2. 377a de his, qui à fide defecerunt, 3. de hereticis. 4. de illis, qui v. g. metu carcerum ex causa civili, confugiunt ad Ecclesiam v. g. Debitores. Pro resolut. not. 1. privilegium asyli non esse directè concessum per-

sonis, sed *ipsis locis sacris*, & hoc, propter reverentiam illis debitam ex eo, quod ad Dei cultum destinata sint. 2. per constitutionem non esse derogatum his, quae per sacros Canones constituta sunt, quoad immunitatem, nisi in quantum volunt plures, vel pauciores esse casus criminum excludentium, vel non excludentium à privilegio Asylo, quam eos duntaxat, quos in sua constitutione *nominatim* expressit. 2. in quantum aliam formam, quam in ea praescripta sit, continent, quoad modum in his casibus, procedendi, quando casus occurrit, quod aliquis, criminis excepti Reus, Curiae seculari tradendus est; quibus praenotatis:

3773 Ad. 1. distinguunt aliqui, an infidelis, ante commissum delictum petierit baptismum? vel primò post? in primo casu eum gaudere Asylo Ecclesiae, affirmat Suarez l. 3. c. 10. n. 10. & alii; in secundo autem existimant, praesumi posse fictionem voluntatis, ad periculum evadendum; & tunc, si deprehendatur voluntas tantum simulata, non defendi ab Ecclesia; ratio sumitur ex c. *Inter alia*, h. t. ubi recipitur immunitas locorum juxta statuta Canonum, & *traditiones legum civilium*, sed iure civili L. 10. C. de his, qui ad Eccles. confug. *Judeos* (consequenter & alios infideles) *qui simulant se Christianae legi velle conjungi, ad Ecclesias fugientes, non esse suscipiendos*; ergo secus, si sincera voluntate converti velint. Coeterum mihi probabile videtur, omnes infideles, metu poenae confugientes ad Ecclesiam, esto non ostendant voluntatem, quod converti velint, gaudere Asylo in criminibus non exceptis. Nam hic non attenditur, nisi *privilegium loci*; nec ullus ab eo, ullo vitio infectus excluditur, nisi sit exceptum juxta constitutionem Gregorii XIV. & ira tenent Sylvester V. *Immunitas*. 3. q. 3. Fagnanus in c. *Inter alia*. h. t. à n. 60. & alii.

3774 Ad. 1. & constare ex 2. ad quaest. 1. praeced. & sequenti, ad 3. ad hanc igitur jam constat, haereticos formales, & viandos, propter vitium haereseos, excludi, quatenus est crimen exceptum, de quo egimus à n. 3710. coeterum, si haereticus toleratus, titulo alterius criminis, confugeret ad Ecclesiam, non foret excludendus, si crimen illud non foret exce-

Tom. III.

ptum; ita Sylvester cit. q. 3. dicto 2. Suarez c. 10. n. ult. Nec obstat L. de his supr. cit. quia, ut notat Suarez, loquitur solum de non baptizatis, seu *Judeis*, quales non sunt *haeretici*; & quamvis dicat *Judeos* non admittendos, si *simulant* voluntatem conversionis, ex quo procedunt, negantes *infidelem* gaudere asylo Ecclesiae; iure tamen novo per constitutionem Gregorii XIV. nemo Laicorum excluditur nisi Reus criminis excepti, cum Pontifex omnia in materia localis immunitatis reducerit ad unicam formam à se praescriptam, derogatis omnibus aliis, in quantum suae constitutioni contrariantur.

Ad. 4. & quod debitor, seu Reus de- 3775
biti civilis, ac ex ea causa metuens malum aliquod, atque fugiens ad Ecclesiam, pariter gaudeat asylo loci; probatur ex L. 1. C. de his, qui ad Eccles. confug. ibi: *Ut ad Ecclesias fugientes evitare possit crimina, vel pondera debitorum*; de quo Zoëlius l. 1. in Cod. tit. 12. de iis, qui ad Ecclesiam confug. q. 1. §. *iure civili*, dicens: Asylum Ecclesiasticum, seu immunitatem, iure civili, procedere etiam in confugiente Reo *ex causa debiti civilis*, qui nihilominus vocari potest, & per Procuratorem causam suam agere cogitur; contumace existente missio in bona, si contra eum decernitur. L. fin. c. h. t. in causa criminali non ira locum habet, ut patet ex novella de man. prim. §. *neque servi*; Si ob levius delictum eo confugerint, dominis restituendi sunt impetrata immunitate L. 6. in fin. §. *sane* h. t. si propter sententiam dominorum, bonis conditionibus sunt distrahendi, instit. de his, qui sui vel alieni juris sunt §. *sed hoc*, & subiungit: *Etiam id procedere in iure canonico*, quod in hoc passu sequendum, etiam à Laicis; cum agatur de causa Ecclesiastica, ubi immunitas est plenior; cum competat propter quamcunque causam, demptis duntaxat criminibus exceptis.

Pirhing h. t. n. 41. tradit eandem sen- 3776
tentiam, ubi rectè norat, quod, cum in c. *id constituimus*, 36. caus. 17. q. 4. dicitur, quod Ecclesiastici Canones decreverunt; & lex Romana constituit, ut ab Ecclesia Reos abstrahere non liceat, per Reos non tantum intelligi de-

Ttt ii

bent

bent Rei criminis: Sed etiam *Rei ex contractu*, vel *causa civili*, ut juxta legem civilem, quam hic Canon allegat, & approbat, fiat interpretatio; præsertim cum alii etiam canones universaliter loquantur de *Reis* confugientibus ad Ecclesiam. Idque procedit etiam in debitore publicorum tributorum, non obstante Auth. de mandat. Princip. §. *Neque autem* vers. *publicorum autem tributorum* c. 7. coll. 3. quippe, quæ adversatur immunitati Ecclesiæ per Canones concessa; subjungit tamen, à tradita doctrina excipi in Constitut. Gregorii XIV, *fraudentos*, sicut & illos, qui cum bonis suis fugiunt ad Ecclesiam, ea secum deferendo, vel aliàs abscondere, in fraudem creditorum; hi enim non gaudent immunitate Ecclesiæ: Sed extrahi possunt, ut notat Gutier. *pract. qq. lib. 1. q. 1. n. 13.* Sic ille: sed hæc exceptio in Constitut. Gregorii XIV. non reperitur, prout videri potest à n. 3707. ubi eam ex toto retulimus.

ARTICULUS II.

Quæ commoda Rei habeant ex asilo Ecclesiastico?

3777 **R**esp. principalem effectum esse, quòd Reus criminis, non excepti, per vim extrahi non possit licite de loco sacro; c. *Reum* 17. q. 4. ibi: *Reum ad Ecclesiam confugientem nemo abstrahere audeat; neq; inde donare ad pœnam, vel ad mortem: Ut honor DEI & Sanctorum ejus conservetur: Sed Rectores Ecclesiarum pacem & vitam, ac membra ejus obtinere studeant: Tamen legitime componat, quod iniq; fecit, & si contra hoc veniretur, non tantum Ecclesiam, sed ipsum etiam Reum agere posse, ut restituatur sue libertati, qua injuste privatus est;* Hoc enim exigit jus eorum, injuste læsum per ejusmodi extractionem violentam, nam de hac loquitur c. *Inter alia*. 6. h. t. ubi Innocentius III. Regi Scotiæ scribens: *Tuis quæstionibus*, inquit: *respondentes, juxta sacrorum statuta Canonum, & traditiones legum civilium, ita duximus distinguendum: Quod fugiens ad Ecclesiam, aut liber, aut servus existit. Si liber?* quantumcunque gravia male-

ficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam, sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam: Ex quo deducitur, hanc immunitatem sacri loci non lædi, si Reus, sponte, vel alio modo, illectus exiret de loco sacro, & caperetur, quod intellige, si non intercessit dolus eum educentis; nam *dolus* in hac re habetur pro *vi*, ut tradit Azor. p. 2. l. 8. q. 14. & alii: Ubi nota, quòd in dicto c. *Reum*, aliàs legebatur non *donare*, sed *damnare*; esse tamen emendatum, annotat ibid. gloss. V. *Donare*, & hoc iterum repositum, ut notatur, quòd ejusmodi Reum non liceat *inde*, nimirum de loco sacro *donare*; hoc est *tradere*.

Prædictam regulam limitat Pithing 3771 h. t. n. 43. dicens: Limitatur autem 1. quòd dictum est, de non extrahendo per vim Reo ex Ecclesia, primò, quòd *Judex secularis*, in casibus à jure exceptis, in quibus non habet locum immunitas, *potest Reum confugientem ad Ecclesiam per vim, etiam propria auctoritate, & sine consensu, ac licentia Episcopi, vel alterius Prælati, aut Rectoris Ecclesiæ extrahere, neque ex eo violatur immunitas Ecclesiastica*, quia jus ipsum dat talem facultatem, adeoque non est necessarium, illam ab homine petere, vel obtinere, & cum Ecclesia tunc fugientes ad loca sacra non turetur, nec tutari velit c. *ut. h. t.* nulla fit ei injuria. Verùm hoc videtur admitti non posse, cum in Constitutione Gregorii XIV. contrarium statutum sit, ut constat ex dict. n. 3712. propter quòd ipse, dictum n. 43. restringit in n. 45. solum ad casum loci, quo constitutio Gregorii XIV. recepta non est.

Si quæras, an non tantum in casu criminis *excepti*, sed etiam *non excepti* Reus per Judicem secularem, ex justa causa per vim extrahi possit ab Ecclesia, sine violatione immunitatis Ecclesiæ, datâ prius à Judice idoneâ cautione vel saltem juratoriâ, de impunitate delinquentis, quoad vitam, & membra, & omnem pœnam corporalem? affirmativam sequitur Sylvester V. *Immunitas*. 3. q. 4. Pithing h. t. n. 44. qui probat 1. ex

ex c. *Id constituimus* 17. q. 4. Deinde ratione; quia, licet talis Judex inferat vim persona Rei: Non tamen facit vim Ecclesie, cui directè hoc privilegium immunitatis concessum est, non delinquentibus; ergo potest hæc facultas dari Judici seculari ab Ecclesia, eaque concessa, is non peccat, extrahendo Reum: Nec tenetur Ecclesia, Rei consensum requirere, aut expectare, si iudicet, expedire, vel prudenter censeat, nullam inde injuriam, aut damnum Reo timeri posse.

3780 Videtur tamen. 1. Superiorem Ecclesiasticum, qui non sit Episcopus, non posse censuræ in talem extractionem, etiam datâ per Judicem secularem ejusmodi cautione, saltem post constitutionem Gregorii XIV. §. *Voluntus*, de quo n. 3712. nam etsi de hoc aliquid insinuetur in c. *Inter alia*; jure tamen novo, & hodie, vi dictæ constitutionis, etiam in criminibus exceptis, talis extractio interdicta est *sine expressa licentia Episcopi, vel ejus officialis, & interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo Auctoritatem habentis*. Ad probat. ex ratione petitam 2. si extractio in dato casu fieret, etiam datâ cautione, eam adhuc & Reo, & Ecclesie, fore *injuriousam*; quia consensus, & cautio, non præstat, quod jus Ecclesie, consequenter libertas Rei, non obviet, omnis dictis circumstantiis, licentiæ Episcopi, &c. quia tantum pro isto casu negatur asyllum Reis, *si crimen sit exceptum*? 2. Quia extrahere *propter crimen non exceptum*, etiam datâ cautione, est contra formam à Gregorio XIV. præscriptam, quam *unam, & duntaxat* observandam, statuit, & extra casus ibid. exceptos, nullam Reorum de loco sacro extractionem fieri debere, aut jure posse.

3781 Ex hoc etiam patet, responsio ad c. *Id constituimus* 36. caus. 17. q. 4. nam licet ibi dicatur observandum, quod Ecclesiastici canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab Ecclesie atriis, vel domo Episcopi Reos abstrahere omnino non liceat: Sed nec alteri consignare, nisi ad Evangelia datis Sacramentis de morte, & debilitate, & omni pœnarum genere sint securi: Ita ut ei, cui Reus fuerit criminofus, de satisfactio

Tom. III.

ctioe conveniat; ex quo per sensum contrarium videtur sequi, *licere tales Reos de loco sacro abstrahere, ad Evangelia datis Sacramentis, seu cautione de securitate pœnarum*: Contrarium tamen hodie tenendum esse, constat ex constitutione Gregorii XIV. ut dictum est n. præced.

Alter effectus Asyli Ecclesiastici est, quod Reo criminis non excepti intra locum Asyli Ecclesiastici nulla licitè possit violentia inferri, v. g. vinculis constringi, carcerari &c. à Magistratu Laico, ut inde extrahatur, eique, causâ necessitatis natura liceat egredi ad 30. passus, juxta 17. q. 4. c. *diffiniuit* 35. ibi: diffiniuit Sanctum Concilium, ut nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes inde abstrahere, aut quodcumque nobilitatis, vel damni, seu spoli, residentibus in loco sancto inferre: sed esse potius his ipsis, qui Ecclesias petunt, per omnia licitum, in triginta passibus ab Ecclesia januis progredi, in quibus triginta passibus uniuscujusque Ecclesie in toto circuitu reverentia defendantur: sic tamen, ut hi, qui ad eam confugiunt in extraneis, vel longè separatis ab Ecclesia domibus, nullo modo abscedant: sed in hoc triginta passuum numero absque domorum extranearum receptaculo progrediendi aditum obrinebunt; *qualiter ad requisitæ naturæ usum debitis exeant locis, & nullo teneantur eventu necessitudinis, qui Dominicis se defendendos commiserint claustris. Si quis autem hoc decretum tentaverit violare, & Ecclesiasticæ excommunicationi subjaceat, & severitatis regie feriatur sententia.*

Idem etiam habetur L. *in presenti*. 6. C. *de his*, qui ad Eccles. confug. ibi: *presenti lege decernimus per omnia loca valitura (excepta hac urbe regia) in qua nos divinitate propitia dogentes, quoties usus exegerit, invocati, singulis causis, atque personis present antea constituta præstamus, nullos penitus, cujuscunque conditionis sint, de sacrosanctis Ecclesiis Orthodoxæ fidei expelli, aut trahi, vel protrahi confugas; nec pro his venerabiles Episcopos, vel Religiosos œconomos exigi, quæ ab ipsis debeantur: his, qui hoc moliri, aut facere, aut*

Tit. II. 2

nuda

nuda saltem cognitione, atque tractatu ausi fuerint tentare, capitali, & ultimi supplicii animadversione plectendis. Ex his ergo locis, eorumque finibus, quos anteriorum legum præscripta sanxerunt, nullos expelli aut ejici aliquando patimur: *nec in ipsis Ecclesiis reverendis ita quemquam detineri, atque constringi, ut ei aliquid aut vidualium rerum, aut vestis negetur; aut requies:* Sed, si quidem ipsi refuga appareant in Ecclesia publicè, & se in sacris locis offerant quærentibus conveniendos: ipsis, servata locis reverentia, iudicium, quibus subjacent, sententiis moneantur, responsum daturi, quale sibi quisque per spexerit convenire.

3783 Tertius est, quòd eo tempore, quo Reus criminis est in loco asyli Ecclesiastici, non possit per sententiam Judicis condemnari ad pœnam corporalem; constat ex c. *Reum*, c. *Id. constitutumus*: in his enim textus accipiendus de sententia, non de executione sententiæ; cum aliunde fieri hæc intra Ecclesiam, Reum pœnâ corporali afficiendo, omnino illicitum sit, per c. *Cum Ecclesia*. 5. h. e. ibi: *cum Ecclesia Dei, secundum Evangelicam veritatem, domus orationis esse debeat, non spelunca latronum, aut sanguinis forum: Seculares Judices causas, ubi de sanguinis effusione & corporali pœna agitur, in Ecclesiis, vel cœmeteriis agitare, sub interminatione anathematis prohibemus: absurdum enim est, & crudele, ibi iudicium sanguinis exerceri, ubi est tutela refugii constituta.*

3784 Quartus est, quòd Magistratus secularis non possit impedire, vel prohibere, quo minus deferantur ad Reum vitæ necessaria; ut habetur cit. L. *Presenti* in n. 3782. quintus est, quòd Reus privari per vim non possit rebus suis, quas secum detulit ad Ecclesiam, vel Monasterium, ad quod tanquam asylum confugit; constat ex c. *sicut*, ibi: *aut personam hominis, vel bona ejus inde subtraxerit, &c. deservit*; vel damni, vel spoli, dixi *rebus suis*, nam, si res alienas injustè detinens, easdem secum detulit ad Ecclesiam, censet Pirhing h. t. n. 49. illi per vim auferri posse; causam reddit: quia eas deferendo, vel retinendo delinquit in Ecclesia, vel delictum

continuat, ideoque quoad illas res immunitate non gaudet, quamvis ipsa persona, ob eam causam, vi extrahi non debeat. Idque sumitur ex c. *de raptoribus* 33. cap. 36. q. 1. ubi habetur; ut, si quis foeminam secum ad Ecclesiam rapuit, ea ipsi auferri debeat, quamvis ipse per vim non sit extrahendus. Similiter, si quis cum armis prohibitis fugiat ad Ecclesiam, illis spoliari potest; quia cum sit lege prohibitum talia arma habere, Ecclesia eum in hac re defendere non intendit.

Videtur tamen responsio ex data ratione (quòd propter hoc immunitate non gaudeat) non admittenda; nam licet etiam intra Ecclesiam injustè detinendo, ac etiam nolendo alienum restituere, & injustitiam continuet, non tamen propter hoc crimen Reus est criminis excepti in Constitutione Gregorii XIV. nec etiam hodie locus est dispositioni c. *inter alia*, (quòd ab Ecclesia non defendatur, qui peccat in Ecclesia, si sumatur pro quovis crimine commissò in Ecclesia, & spe immunitatis) quia hoc jure novo restrictum est ad solum homicidium, vel mutilationem in Ecclesia, vel cœmeterio commissam, ut dictum est à n. 3707. dixi, *ex data ratione* (quòd immunitate non gaudeat) dictam responsionem videri non admittendam; ceterum, cum cogi posse, ut injustè apud se detenta, reddat non videretur dubium.

Dubitari etiam potest, à quo consuetudine ad Ecclesiam Reo præstanda sint alimenta, dum in asylo esse cogitur securitatis causâ? Ad hoc respondet Abbas in c. *Inter alia* n. 28. h. e. Azor p. 2. l. 8. c. 9. q. 13. & alii, eum debere vivere suis modis, si habeat; vel labore manuum, aut artis exercitio, si quid per hoc in eo statu lucrari possit: secus Ecclesiam illi, tanquam pauperi, in ejusmodi necessitate teneri præstare alimenta, idque naturali lege charitatis erga proximum.

ARTICULUS III.

De pœnis ledentium localem immunitatem Ecclesiarum?

Cum prohibitio actuum, immunitatis Ecclesiarum contrariorum, sumatur

detur in reverentia locis sacris debita, ut tradit Suarez l. 13. de ead. reverentia, c. 13. consequenter in virtute Religionis; ejusmodi laesio dictae immunitatis continebit malitiam Sacrilegii, arg. c. Sa-
crilegium 17. q. 4. sic enim erit actus vitii contra Religionem; & quoniam jure natura licet vim vi repellere; si Judex secularis per vim aggrediretur locum sacrum, ut Reum inde extraheret, in casu jure non permisso; Praelatus, vel Superior talis Ecclesia posset cum pariter vi repellere, etiam positivè resistendo (sine armis tamen, quibus utantur ipsi Clerici, vel Religiosi) imò ubi necessitas postulare, etiam auxilio Laicorum, quantum exigit ratio securitatem Ecclesiae defendendi; de quo V. S. Thomas 2. 2. q. 59. A. 2. ad 3. Suarez cit. c. 13. n. 4.

3787 Circa poenas porrò statutas in eos, qui per vim de loco sacro extrahunt Reum criminis non excepti not. 1. eos teneri Reum in persona iterum restituere Ecclesiae, ut colligitur ex 17. q. 4. c. *Miror* 8. ibi: *Ecclesiae igitur illaesum revoca, quam ut irreligiosissimus rapuisti; & ratio est, quia jus Ecclesiae injustè laesum, jure naturali reparandum est restitutione rei per injuriam ablata; si adhuc extet in se ipsa, ut est communis doctrina Theologorum; & tradit Abbas in c. inter alia n. 26.*

3788 Quæstio autem fieri potest, an tali casu sufficiat, quod Judex Ecclesiae præstet cautionem de impunitate? 2. an talis Judex ad refarcienda quoque alia etiam damna Reo illata teneatur? si contra illicitè extractum ulterius processit? 3. an actus judiciales contra Reum sic facti sint in validi? 4. quæ poena talibus sit statuta de jure civili? 5. quæ secundum jus Ecclesiasticum? 6. an ejusmodi Violatores Ecclesiasticae immunitatis etiam puniri possint poenâ pecuniariâ? Ad. 1. quod non; nam cum injuria sit realis, restitutio fieri debet redditione rei injustè ablatae adhuc in se ipsa extantis, aliàs obligationi læsæ justitiæ non satisfit, sic Abbas cit. Suarez cit. 13. n. 16. Ad 2. quod sic, nam injustè causans alteri damnum, unde plura illi mala consequuntur, & pariter istorum causa injusta; quia libere ponit ejusmodi causam injustam, tenetur ad eorundem refarcitionem jure naturali, & divino, ergo.

Ad 3. quod sic, ex dict. n. sup. ad 4. 3789 statui poenam ultimi supplicii: cum sit crimen læsæ Majestatis, ut habetur L. 2. & L. *Præsent.* 6. C. de his, qui ad Eccles. confug. hanc retulimus superius, altera sic habet: *fideli, devotaque præceptione sancimus, nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere, sub hac videlicet definitione: ut, si quisquam contra hanc legem venire tentaverit, sciat se Majestatis crimine esse retinendum.* Sed circa usum hujus poenæ, locorum consuetudo legitima attendi debet. Certum tamen est etiam a jure civili tale factum referri inter delicta valde gravia, nec à Magistratu Laico impunè transeunda.

Ad 5. ex 17. q. 4. c. *Quisquis* 21. 3790 *si quis domum*, colligi, talem esse excommunicandum, nec ad communionem admittendum, donec satisfecerit, ibi: *si quis domum Dei violaverit, & aliqua, sine licentia illius, cui commissæ esse dignoscitur, inde abstulerit, vel Ecclesiasticis personis injuriam fecerit, donec in conventu admonitus legitime satisficiat, sciat, se communionem privatum: Si vero post secundam, & tertiam conventionem coram Episcopo satisfacere detrectaverit, sacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur, ita, ut secundum Apostolum nemini fidelium misceatur;* Sic Joannes Papa VIII.

In eodem c. habetur, quod sacrilegium committatur, si quis infregerit Ecclesiam, vel triginta Ecclesiasticos passus, qui in circuitu Ecclesiae fuerint; vel domos, quæ intra prædictos passus fuerint, aliquid inde diripiendo, vel auferendo: seu qui injuriam, vel oblationem rerum intulerit Clericis arma non ferentibus, vel Monachis, sive Deo devotis, omnibus Ecclesiasticis personis; excipiuntur tamen capellæ, quæ sunt intra ambitum mitorum castellorum; nam hæ non ponuntur in hac triginta passuum observatione. Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.

Ad 6. affirmative, per 17. q. 4. c. 3792 *si quis*. 20. ibi: *si quis contumax, vel superbus timorem Dei, vel reverentiam sanctarum Ecclesiarum non habuerit, & fugientem servum suum, vel quem ipse persecutus fuerit de atrio Ecclesiae,*
 Ttt tt 3 *vel*

vel de porticibus quolibet modo Ecclesie adherentibus per vim abstraxerit, pro immunitate nongentos solidos Episcopo componat: & ipse, publicam penitentiam, iusto iudicio Episcopi, mulctetur, & in dict. c. Quisquis 21. ibi: quisquis inventus fuerit Reus sacrilegii Episcopis, vel Abbatibus, sive personis, ad quas querimonia sacrilegii iuste pertinuerit, triginta libras examinati argenti purissimi componat.

ARTICULUS IV.

De reali Immunitate Ecclesiarum.

3793 **A**ntequam tradamus ea, quæ pertinent ad hanc materiam, notand. 1. Bona Ecclesiastica, quæ scilicet ad Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas spectant, (ut notat Molina tom 1. de iustit. D. 142.) esse in triplici differentia: nam quædam sunt, quæ non ratione Ecclesie, ministerii, ve Ecclesiastici, sed aliunde ad Clericos pertinent, nempe hæreditario jure, contractu, donatione, officio, aliave ratione simili; dicunturque *patrimonialia bona Clericorum*; quædam esse, *quasi patrimonialia*, quæ spectant ad Clericos ratione ministerii Ecclesiastici, ita tamen, ut non sint fructus beneficii præstimonii, pensionis. Hujusmodi sunt, quæ comparant ministrando funera, officia, confessiones audiendo, missas celebrando, Judicem Ecclesiasticum agendo, concionando, canendo, organa pulsando, agendo Capellantum, ac Vicarium temporarium. Item, quæ summus Pontifex confert quibusdam Cardinalibus per singulos annos, in subsidium decentis sustentationis: vel Episcopo, quem aliquò mittit, in expensas itineris; tertio alia, quæ pertinent ad Ecclesias, aut hospitalia, aut alia pia loca, sive mobilia sint, sive immobilia, & sive immobilium fructus annexi sint beneficio, ad beneficiatumque proinde spectent, aut non: sed, vel ad fabricam, vel ad infirmos curandos, vel ad aliquid aliud deputati sunt. Sed in hac acceptione *Bona Ecclesiastica* non sumuntur strictè; cum *Bona Ecclesiasticorum* (cujusmodi sunt patrimonialia) non sint ex titulo Ecclesiastico, sed temporali; adeoque non bona *Ecclesiastica*, sed *Ecclesiasticorum*, in quibus magna distinctio est, ut constat de jure disponendi

circa bona, quæ habent Clerici, ut dictum est in tit. 25. hic.

Aliter ergo dividendo bona Ecclesiastica, not. 2. ea esse in triplici classe: in 3794
prima sunt ipsæ materiales Ecclesie; seu templa, iisque adjuncta cœmeteria; item vestes, & vasa sacra, & alia consecrata, vel benedicta, & ad divinum cultum, tanquam eius instrumenta, deputata: *in secunda* sunt, quæ quidem consecrata, aut benedicta non sunt, tum immobilia, ut fundi, prædia, domus; tum mobilia: quia tamen hoc ipso, quod à Fundatoribus, vel aliis fidelibus ad Dei cultum oblata, & donata, & in sustentationem Ministrorum Ecclesie, & alimenta pauperum, & alias templorum expensas destinata sunt, inter res sacras computantur (ut docet S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 3. in corp.) sive dominium eorum immediatè sit penes Christum, ut aliqui volunt; sive penes Ecclesiam universalem, vel aliam particularem cum onere, seu obligatione, illa expendendi, vel applicandi ad pios usus: *in tertia demum* ea, quæ Clerici acquirunt ex spirituali titulo, ut ex redditibus decimarum, vel beneficiorum suorum, quæ propter officium dantur, vel quæ non quidem ex jure, seu titulo beneficii: sed spiritualibus operis acquiruntur, ut ex Missarum stipendiis, & funeralibus &c. & hæc propriè *Clericalia bona* vocari possunt.

Not. 3. Inter onera, quæ imponi 3795
possunt alteri, ut notatur L. 18. ff. de Verb. signif. quædam esse *merè personalia*, quæ personis tantum iisque subditis, sine ordine, seu respectu ad bona patrimonialia, imponuntur: Cujusmodi onus merè personale est, v. g. *capitatio civium*, id est, *certa exactio à singulis capitibus*, sive personis, sine respectu ad bona patrimonii, quæ imponuntur etiam illis subditis, qui nulla bona immobilium habent in territorio Principis imponentis, L. unica, C. de Capit. civium, quædam *merè realia*, quæ sine respectu ad personæ qualitatem, sunt imposita ipsis rebus, seu bonis tantum, sive bonis propter bona, eisque jure perpetuo secundum se inhærent, & inseparabiliter ea comitantur, adeoque perpetua, & invariabilia sunt, ita, ut tandiudurent, quamdiu durant res ipsæ, quibus inhærent. Et tale onus merè reale im-

imponi potest à quolibet, etiam privato Domino, rei suæ v.g. domui, vel fundo, per pactum, seu contractum censualem, feudalem, vel emphyteuticum; nam quilibet est rei suæ moderator, & arbiter L. in re 21. ff. mandat. quædam demum mixta, quæ personis imponenti subiectis imponuntur cum ordine, ac respectu ad bona, quæ possident, sive, personis pro modo facultatum, ita, ut immediatè ipsis personis subditis, mediatè verò, & consequenter etiam ipsis bonis, sive personis propter res, seu bona, imponantur, juxta L. Rescripto, 6. §. fin. ff. de muner. & bonor. quæ ex infra dicendis magis patebunt; his præmissis:

3796 Communis tener bona Ecclesiastica primæ classis (in n. 3794.) debere esse libera à tributis, vectigalibus, & quibuscunque actionibus, quæ à potestate seculari imponuntur; tum quia sunt res fructifera aliquorum proventuum temporalium, neque habent ullum temporalem usum, seu commoditatem pretio æstimabilem: sed tantum usum sacrum, ad quem specialiter sunt destinata, ideoque ad usus humanos, & profanos amplius applicari non possunt, juxta c. quæ semel. 4. caus. 19. q. 3. c. Ligna 38. dist. 1. de consecr. Suarez. lib. 4. de defens. fidei Cathol. c. 19. n. 2. de his, quæ sunt secundæ classis, dicendum pariter, juxta limitationes à n. 3799, ea exempta esse à potestate seculari, & consequenter etiam à tributis secularibus; cum talium bonorum administratio, dispositio, & applicatio ad Ecclesiæ Prælatos, & non ad seculares potestates pertinere possit. Suarez. cit. l. 4. c. 17. n. 6. & c. 18. n. 7. & 2. seqq. Layman. l. 4. tr. 9. c. 6. n. 1. Not. autem, nos hic loqui de oneribus merè realibus, quæ imponi ceteroquin solent subditis à Principibus, & Magistratibus Laicis, adeoque non de illis, quæ debentur summo Pontifici, locorum Ordinariis, ac Prælatibus Ecclesiasticis inferioribus ex dispositione sacrorum Canonum; de quibus jam actum est supra.

3797 Ad hoc rectè exponendum not. 4. hic sermonem esse de immunitate Ecclesiastica, non ea, quæ est de Asylo Ecclesiastico, sed illa, quæ explicat exemptionem, & jus, vi cuius Ecclesiæ, per-

sona Ecclesiastica, ac earum bona exemptantur, seu liberantur à præstandis oneribus, vel etiam obeundis officiis secularibus, & subiectione, relatè ad Laicum Superiorem, quo nomine veniunt solùm exemptiones illæ, quæ toti statui clericali, vel omnibus locis, aliisque rebus Deo particulariter dicatis, communes sunt, ut notavimus lib. 1. decret. à n. 616.

Igitur, vi harum exemptionum Clerici, & Regulares exempti sunt 1. à civilibus Principum secularium legibus, & statutis; ut ostendimus cod. lib. 1. an. 616. sive concernant ipsas personas, sive res, & bona illarum, ut ibid. à 617. probavimus ex utroque jure, non modò directè, sed etiam indirectè, quamvis concedi possit Clericos, & Regulares ad ea, quæ legibus civilibus in merè temporalibus præscripta, & omnibus civibus communia sunt, nec dedecent eorum statum, nec lædunt eorum privilegia, obligari, at non directè in vi legis civilis (nam ad hoc nulla Laicis potestas attributa est) sed solùm indirectè, nimirum in vi legis naturalis, & divinæ, qua pars quælibet, secundum rationem status sui, tenetur procurare bonam totius, ut ostendimus cit. l. 1. à n. 624. Hinc ista exemptio Clericorum, & Regularium, tam quoad personas, quam ipsarum bona, immeritò restringitur ad sola purè spiritualia, juxta ibid. dicta n. 627. ubi etiam contraria dissolvimus.

In ea porrò quæstione (an bonis temporalibus, quæ sunt Ecclesiastica, imponi possint potestate Laicæ onera, vel tributa merè realia, vel etiam mixta, & similia?) lib. 1. à n. 654. respondimus, posse illa, quæ sunt certa, & invariabilia, iisque bonis incumbèbant, antequam ad Ecclesias, & personas Ecclesiasticas pervenerunt; sic enim, res in eas transiit cum onere affixo ipsi rei, ut ostendimus loc. cit. secus est de novis oneribus, & tributis imponendis, postquam transiverunt in dominium Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum; tunc enim sunt extra potestatem dominorum temporalium, ut ibid. ostendimus, & quæ in favorem suum afferunt Laici, à n. 656. refutavimus, præsertim ea, quæ desumunt à

com-

communi ipsorum refugio (quod in plurimis satis male usurpatur) quia jamest sic consuetum, & praxis; hoc enim sæpe solum significat, quid fiat? non autem, quid fieri debeat? de quo controvertitur; V. inibi dicta à n. 655. & 664.

ARTICULUS V.

De Immunitate personali.

3800 **N**on agimus hic de privilegio Clericali, quod dicitur *fori & canonis*; de hoc enim tractavimus *lib. 2. tit. 2.* de foro competente; ubi etiam exposuimus, quid requiratur, ut Clerici gaudeant ejusmodi privilegio? an ei renunciare possint? an, & qualiter amittant? recuperent? Quæstio nunc est, an Clerici, vel Regulares, exempti sint à tributis merè personalibus, quæ per capita, juxta personarum numerum, sine respectu ad bona, imponuntur, cujusmodi est census, seu tributum *capitationis*, juxta *tit. Cod. de Capitat. Crvium lib. 11.* Ante resolutionem not. etiam in casu, quo aliquando ex certis causis, à personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quàm Regularibus, fiunt quædam contributiones extraordinariæ, vel novæ, id non posse licite fieri vel à dantibus, vel ab exigentibus, nisi servatis certis conditionibus, cum nec Laicis, nec Ecclesiasticis contravenire liceat his, quæ pro tuenda immunitate, ac libertate Ecclesiastica, constituta sunt ab Ecclesia.

3801 Not. 2. in c. *Non minus*. 4. h. t. (quod desumptum est ex CC. Lateran. sub Alexandro III.) referri, quòd, cum in diversis mundi partibus Laici Magistratus tot onera imponerent Ecclesiasticis, ut *deterioris conditionis sub eis esset Sacerdotium*, quàm olim sub Pharaone, qui omnibus aliis servituti subactis, *Sacerdotes, eorumque possessiones* in pristina libertate dimisit, & eis alimoniam de publico præbuit: *isti autem*, cum onera sua fere universa Ecclesiasticis imponerent, ut, quod Hieremias deplorat, *Princeps Provinciarum* (id est Ecclesia) *feret subtributo*; simulque jurisdictionem, & auctoritatem Prælatorum sic evacuarent, ut nihil in suis videatur

hominibus remansisse: *Concilium sub anathematis districtione talia fieri prohibuerit; nisi Episcopus, & Clerus, tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.* Si autem talia committentes, & commoniti non desistant, tam ipsi, quàm fautores eorum, *excommunicationi se noverint subesse, nec absolvantur, donec satisfactionem fecerint competentem.*

Not. 3. in eod. Concilio (ut habetur c. *Adversus*. 7. eod.) sub Innocentio III. confirmatum esse statutum Concilii Lateran. in c. *Non minus* adversus Consules, & Rectores civitatum, aliosque, qui Ecclesias, & Ecclesiasticos viros tallias, collectas, aliisque exactionibus gravant; quam ob causam Concilium illos, eorumque fautores excommunicationi subdit, *donec satisfecerint.* Si tamen Episcopus cum Clericis, absque ulla coactione ad relevandas necessitates, vel utilitates communes, subsidia petarint conferenda, Laicos voluit humiliter, & devotè recipere; & propter imprudentiam aliquorum statuitur, ut *Romanus Pontifex prius consulatur.* His adjicit Innocentius, ut constitutiones, & sententiæ à talibus latæ, *inanes, & irritæ habeantur*; & ne Consules ac Rectores existiment, sententiam anathematis solum durare, dum in regimine existunt, decernit Pontifex, & ipsum, qui satisfacere recusarit, & Successorem ipsius (& nisi satisfecerit infra mensem) manere *Ecclesiasticâ censurâ conclusum, donec satisfecerit competenter.*

Denique c. 1. eod. in 6. cum in regno Franciæ Comites, Consules, & alii Domini temporales, jurisdictionem temporalem exercentes, vel ii, quibus commissa est executio justitiæ secularis, Ecclesiis collectas, tallias, & alia hujusmodi, *pretextu bonorum, quæ acquisverunt*, imponerent, vel niterentur, ut dictæ Ecclesiæ extra manum suam ponerent ejusmodi acquisita; Alexander IV. decernit, *non licere præfatis communitatibus, scabinis, seu Consulibus, aliisque jurisdictionem, vel justitiam temporalem obtinentibus, aut executoribus, talia Ecclesiis, vel personis* &c.

Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab eisdem pro domibus, prædiis, vel quibuscumque possessionibus, ab Ecclesiis vel Ecclesiasticis legitimè hæcenus acquisitis, vel imposterum acquirendis; et si ipse Ecclesie, vel persone, vel res hujusmodi, sint in illorum territorio constitutæ; Nec etiam, liceat Ecclesiis, vel Ecclesiasticis, ad distrahendum, vel alienandum, aut dimittenda acquisita jam, vel que deinceps acquirent, ullatenus coarctare.

3803 Ex istis juribus deducitur, ad licitam contributionem, de qua hoc loco questio est, requiri primò, ut Episcopus & Clerus prius deliberet, & quantum Laicis contribuendum sit? exc. *Non minus* in n. 3801. ibi: *nisi Episcopus, & Clericus* &c. &c. *Adversus* n. 3802. ibi: *sitamen Episcopus cum Clericis* &c. Secundò, requiri vel necessitatem valde gravem, vel evidentem utilitatem boni communis, exc. *non minus*, ibi: *tantam necessitatem, vel utilitatem perspexerint*, nimirum Episcopus, & Clerus; &c. *Adversus*, ibi: *ad relevandas necessitates, & utilitates communes*; tertio, non sufficere qualemcumque necessitatem, vel utilitatem communem, sed *tantam, ut Laicorum non suppetant facultates*, ut expressè dicitur in c. *non minus*; quartò, ut ejusmodi contributiones, & subsidia fiant ab Ecclesiasticis, non ex impositione Laicorum, c. *non minus*, ibi: *quòd Laici Magistratus tot onera imponerent Ecclesiasticis*; &c. *Adversus*, ibi: *absque ulla conditione*; id, quod etiam constat ex c. 1. h. r. in 6. n. relato supr. Denique quintò, ut prius consulatur Summus Pontifex, prout habetur in c. *Adversus*, ibi: *propter imprudentiam aliquorum Romanus Pontifex prius consulatur*.

3804 Deducitur, 2. Clericos, & Regulares omnino exemptos esse ab extraordinariis, & novis tributis, & contributionibus, etiam pro communi necessitate, ac utilitate, nisi præmissæ conditiones adsint; nec ab illis aliter fieri posse; nec à Laicis aliter exigì sub poena excommunicationis latae sententiæ; absolutione reservata, dum competenter satisfecerint; ab his tamen excipe. 1. nisi ejusmodi nova tributa exigat Princeps vel speciali privile-

Tom. III.

gio, vel cum expressa licentia Summi Pontificis, ut colligitur ex c. *Adversus* 7. h. r. ibi: *si quando forte Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem, & utilitatem perspexerint, ut absque ulla coactione ad relevandas utilitates, vel necessitates communes, (ubi Laicorum non suppetunt facultates) subsidia duxerint per Ecclesias conferenda: prædicti Laici humiliter, & devotè recipiant cum gratiarum actione; ubi tamen statim additur, propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur*: cuius interest communibus utilitatibus providere.

Excipe, 2. exactiones, quæ ab Ecclesia debentur domino, 3805 cuius beneficio feudum habet. Nam, ut ait Abbas in c. *Dilectus* 34. n. 4. de prob. si Ecclesia habeat feudum à Laico, censetur ut Laicus, non ut Ecclesia, cum ergo Clerici quoad bona feudalia, non habeant privilegium fori: sed coram Iudice seculari, videlicet domino feudi conveniri possint, ac debeant c. *ex transmissa* 6. & seq. de foro compet. nil mirum, quòd ratione iurium, & honorum feudaliùm, etiam Imperatori, vel alteri Principi tanquam Domino feudi contribuere debeant, ut docet Piasc. in praxi Episc. p. 2. c. 4. art. 8. n. 68. Excipe 3. bona, quæ antequam ad Ecclesiam pervenerunt, subjecta fuerunt certis oneribus, ut notavimus sup. Sylvest. V. *Immunitas* n. 19. q. 5. dist. 3. vel in donatione, vel fundatione reservata fuerunt; nam tali casu Clerici solvunt gabelas, & collectas, non vi subjectionis: sed vi pacti, seu conventionis factæ in prima fundatione; his præmissis.

Ad questionem principalem initio 3806 articuli propositam 2. ex oneribus personalibus quædam esse, quæ consistunt in tributis personalibus, ut est *census capitulationis*; quædam, quæ dicuntur *angaria*; quædam esse vilia, & sordida, ut fodere arenam, calcem coquere, curare equos; quædam, quæ nec honorem habent, nec utilitatem, honesta tamen sunt, ut agere Tutorem pupillorum, vel Curatorem Minorum: quædam causa necessitatis, ut custodire muros civitatis, vel juvare ad erigendos aggeres pro defensione urbis &c. quædam in receptione militum in domos suas &c. quibus positus.

Uuu uu

B. I.

- 3807 *Re. 1.* Clericos, & Regulares exemptos esse à tributis personalibus *capitationis*, qua intelligitur onus pendendi tributum impositum personæ ratione personæ, ut notavimus superius; ratio est, quia personæ Ecclesiasticæ, quoad suas personas, non sunt subjectæ ulli Laico; nemo autem tenetur ad præstandum aliquid ex ejus imperio, cui in tali materia subjectus non est; de quo plura *V. lib. I. tit. 2. de constitut.* ubi ex utroque jure ostendimus personas Ecclesiasticas exemptas esse ab omni onere *personali* relatè ad potestatem *Laicam*; omnibusque collectis, & exactionibus; & hanc exemptionem, fundatam in ratione sui status, vi cujus omnes actiones suas dirigere debent ad Dei cultum, non ad temporalia, meritò docet Pirhing *h. t. n. 81. esse juris naturalis*; de quo V. Suarez *cit. l. 4. de immunit. Eccles. c. 2. à n. 3.*
- 3808 *Re. 2.* Clericos, & Regulares exemptos esse ab onere præstandi Laicis *angarias*, & *perangarias*; sive *angariam* accipiamus pro gravi impositione, & injusta extorsione à Principe; & *parangariam* pro gravissima & injustissima extorsione, prout eos terminos quandoque sumi notat *Pereyra in Elucidario n. 1274. ex L. Urbana, §. pernoctare. ff. de verb. signif. sive per angariam* intelligatur munus personale, & exhibitio operæ sine sumptu proprio, id est, sine erogatione proprii patrimonii, & per *perangariam* munus mixtum atque adeo exhibitio operæ proprio sumptu. Oppositum sentit *Gloss. cap. non minus, de communi Ecclesiast. verbo angariis.* Nempe ut *angariæ* dicantur *munera personalia* propriis sumptibus, & *Parangariæ* sumptibus alienis; ut tit. citato *Codicis* utrumque vocabulum significat; sive denique utrumque vocabulum significet equorum, seu jumentorum, aliorumque animalium præstationem ad cursum publicum, ac necessitatem à Principe provincialibus impositas onerum vehendorum per cursum publicum *L. 10. & 11. ff. de vacat. maner.* Ratio omnium istorum est eadem, quæ n. præced. excipi tamen debent *angariæ* præstanda ab Ecclesiis *Patrono*, in earum fundatione cum consensu *Episcopi* reservatà *fundatoribus*, de quibus alias.
- 3809 *Re. 3.* Clericos, & Regulares exemptos esse ab onere personaliter præstandi obse-

quia vilia & fordida; nec illis imponi possent licitè à potestate Laica; talia portò censentur (ut habetur *L. Maximarium. r. 2. C. de excusat. munerum.*) habere curam conficiendi pollinis, panis coquendi, obsequium pistrini, præbere parangarias; &c. Ratio autem, quantum est de jure canonico, sufficienter ex dict. constat; idem autem etiam statuitur de jure civili *L. Placet 5. C. de Sacrosanct. Eccles. ibi: Placet, rationabilis consilii tenore perpenso d. sicut à moderatone præscribere, à quibus specialiter necessitatibus singularium urbium Ecclesiæ habeantur immunes;* prima quippe illius usurpationis contumelia depellenda est: *ne prædia usibus celestium secretorum dedicata, sordidorum munerum fæce vexentur. Nil extraordinarium abbate superinductumve flagitetur: nulla translationum sollicitudo figuetur: postremo nihil, præter canonicam illationem, quam adventitia necessitatis sarcina repentina poposcerit, ejus functionibus adscribitur. Si quis contra venerit post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos (jure) promenda est, exilio de portitionis perpetuo subdatur.*

Idem habetur *L. Omnis. 2. C. de Episcopis & Clericis, ibi: Omnis, Clericis in debita conventionis, injuria, & iniquæ exactionis repellatur improbitas, nullaque conventio sit contra eos munerum sordidorum; & cum negotiatores ad aliam quam præstationem competentem vocantur, ab his universis istiusmodi strepitus conquiescat.* Si quid enim vel parsimonia, vel provisione, vel mercatura (honestati tamen conscia) congesserint: id in usum pauperum, atque egentium ministrari oportet ad id, quod ex eorundem ergasteriis, vel tabernis, conquiri poterit & colligi, *collectum id religionis existiment lucrum.* Verum etiam hominibus eorundem, qui operam in mercimoniis habent, divi Principis genitoris nostri statuta multimodâ observatione caverunt, *ut idem Clerici privilegiis pluribus redundarent, itaque extraordinarium munerum à prædictis necessitas absque omni molestia conquiescat; ad parangariam quoque præstationem non vocentur, nec eorundem facultates, atque substantiæ, omnibus Clericis hujusmodi*

scopi impediuntur venire, cum militum Christi sit Christo servire: Militum vero seculi, seculo: secundum quod scriptum est (nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus,) quod, si seculi milites seculari militia student, quid ad Episcopos, & milites Christi? Nisi ut vacent orationibus. Deducitur præterea ex textibus utriusque juris jam allatis: Dixi regulariter, nam in casu magna necessitatis defendenda urbis contra hostes, præsertim infideles, insufficientibus solis Laicis, jure naturali videntur vocari in subsidium; & huc respexisse videtur Gregorius Pontifex, dum Archiepiscopo Trecenti scribens ait, ut habetur c. Peruenit. 2. h. t. Fraternalitas tua nullam per nostræ vel Ecclesiæ tuæ nomen, aut alio modo excusari à murorum vigiliis patiatur: Sed omnes ad hoc generaliter compellantur: quatenus cunctis vigilantibus melius valent civitatis custodia

procurari. Dixi jure nature, quod exigit, ut pars subveniat toti, graviter laboranti; non jure, vel imperio seculari; ab hoc enim simpliciter exempti sunt; unde etiam nec à Jure seculari, sed Ecclesiastico, & suo, ad hoc destinandi sunt.

Not. 4. Clericos, & Regulares, non teneri mandato potestatis secularis ad domos, & habitationes suas, recipere milites, qualiter quandoque domibus civium, vel in hybernis, vel in transitu imponuntur; res enim omnes eorum secundum dicta, ab omnibus ejusmodi oneribus secularibus, utroque jure immunes sunt, ut ostensum est allatis utriusque juris textibus, & V. potest apud Barbos. l. i. juris Eccles. c. 39. §. 50. à n. 76. ubi refert sententiam Sacre Congregationis Concilii super controvers. jurisdiction.



QVÆSTIO L.

IN TITULUM L.

NE CLERICI, VEL MONACHI SECULARIBUS NEGOTIIS SE IM- MISCEANT.

3816 **T**itulus iste, finalis libri tertii, postquam præmissa sunt ea, quæ propriè spectant ad Clericos, tam Regulares, quam seculares ratione sui status, subjungit, quæ illis merito prohibita sunt, tanquam decentia, & contraria statui, quem profiterentur, & in Rubrica sub verbo *negotia secularia* comprehenduntur. *Negotium* juxta Isidorum de Ethym. ut refertur c. *forus*, de verb. signific. dicitur, *sine otio*, quasi *negans otium*, & apud Bart. in l. *si pecuniam* C. de negot. plura significat, nempe laborem, occupatio-

nem, curam, molestiam, sollicitudinem, causam, potestatem, litem, contractum: Apud Molin. tom. 2. d. 329. inquit dupliciter sumitur. 1. *late*, & generaliter, prout dicit omnem actum circa externa, & agibilia, impediendam otium: In qua acceptio est triplex, commune, publicum, & privatum. *Commune* est, quod spectat ad dispositionem alicujus regionis; *Publicum*, quod spectat ad regimen alicujus civitatis; *Privatum*, quod pertinet ad privatam personam.

Secundò accipitur *preste*, seu *stricte*, 3817